



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Thomae Młodzianowski, Polonie, Societatis Jesu,
Prælectionum Theologicarum Tomus ...**

De Metaphysica, Logica, Octo Libris Physicorum, Generatione, Corruptione
Et Anima

Młodzianowski, Tomasz
Moguntiae Et Dantisci, 1682

Disputatio VII. De habitibus & speciebus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95667](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95667)

modus explicandi influxum imperantis actus, in actum imperatum convenit omni, soli, & semper imperio.

QVÆSTIO III.

De Libertate Voluntatis.

DE libertate voluntatis nihil hic agendum specialiter occurrit, quod non sit tractatum in aliis materiis; ut in materia de Deo, ubi de prædeterminatione. In materia de Actibus humanis, ubi de eorum proprietate quæ est libertas. Illuc remitto Lectorem: titulus tamen positus est methodi causa.

DISPUTATIO VII.

De Habitibus & Speciebus.

DEfinitivè Habitus ut vult Gabriel in 3. dist. 23. q. 1. est qualitas difficilè mobilis, ex actu vel actibus producta, ad similitudinemque actuum productionem inclinativa. Dividi autem habitus possunt in naturales & supernaturales, & utriq; in habitus intellectus & voluntatis &c. Ea quæ dici deberent de habitu supernaturali, peti debent ex materia de supernaturalitate: hic autem in communi de Habitibus discurretur. Connecitur autem tractatus de Habitibus & Speciebus cum tractatione de intellectu & voluntate, quia sicut voluntas & intellectus sunt principia intima agendi provisa animæ, ita habitus & species, sunt principia agendi ut ita dicam quæ sita.

QUÆSTIO I.

De Subiecto Habituum.

Sicut cognitum prius est volito, sic & de habitibus intellectus prior debet esse tractatio præ tractatione de habitibus voluntatis. Lugo de Incarn. d. 21. sect. 1. Ariaga hic Hurtadus & Ovied. negant dari habitus in intellectu, qui sunt aliquid aliud præter species objectorum intensas perfectiores, vel ut alii loquuntur magis ordinatas & radicas.

DIFFICULTAS I.

An dentur Habitus in intellectu?

DICENDUM est. Præter species intensas ordinatas & radicas, dantur habitus in intellectu, qui sunt qualitas superaddita. Est conclusio utriusq; Suarez, communisq; apud alios.

PROBARI posset ex Recent. Suar. Perseverantibus iisdem speciebus, potest accrescere facilitas. Demus enim quod quis non acquirat

novas species, & nihilominus iteret eandem conclusionem, acquireret facilitatem circa illam, specierumque dispositio in hoc solum consistet, ut minus oblique, sed magis directe, objectum repræsentent.

RESPONDERI posset quod manentibus iisdem in entitate speciebus, sed sola mutatione quoad ordinem, radicationem intensionemq; posita, acquiratur facilitas, negabiturque illam dispositionem & combinationem, non plus facere, quam quod directe repræsentent objectum, sed accrescit illarum intensio, ex qua oritur facilitas.

PROBAT 2. Idem. Intellectus proposito medio dubio & inevidenti, manet dubius & indeterminatus, quam indeterminatorem, non tollet species, semper enim repræsentant objectum eodem modo, & indeterminatio eadem est, positis illis speciebus, & post illas.

RESPONDERI posset. Quod eodem quidem modo quoad substantiam repræsentetur objectum semper per illas species, sed non eodem modo quoad modum proponendi: Cujus alias habetur ratione majoris intensionis, radicationis, coordinationis, &c. *Hinc aliter*

PROBATUR 3. Conclusio. Diversa est difficultas, quam tollere debent species ordinatæ & intensæ, & diversa, quæ se tenet ex parte ipsius potentie intellectivæ. Ergo si nihil obsit, debent dari diversa principia facilitativa, & amotiva illarum difficultatum. Sed hæc facilitas quæ se tenet ex parte potentie intellectivæ, non alia erit nisi habitus: Ergo dabuntur intellectuales habitus. Ant. prob. Diversa est difficultas quam sentit Cytharædus, ut imprimat sibi species cantus, quem in cythara exprimere vult, & diversa est difficultas, quam sentit in ipsis digitis movendis. Ergo etiam difficultas erit diversa, quam sentit intellectus in modo movendi se ad suos actus, à difficultate, quæ est habendi species intensas & ordinatas, eorum, quibus illo modo assentiri deberet, non enim minus

minus necessaria est potentia loco motiva refidens in manu, quam sit necessaria potentia intellectiva. Et sicut tota illis difficultas est, in modo applicandæ illius potentiaæ motivæ digitorum: sic & tota difficultas est, in modo asfentiendi, per potentiam intellectivam. Et certè quando experimur in aliquibus potentiis difficultatem, si illa in remotionem impedimenti alicujus materialis referri non possit, necessario referri debet in habitum superadditum. Hinc concederemus etiam in Cytharisando habitum, tenentem se ex parte potentiaæ, si illam facilitatem, in remotionem impedimentorum referre non possemus. Ergo cum in intellectu facilitas quam sentimus, referri non possit in remotionem impedimentorum materialium, referri debet in qualitatem habitus condistinctam.

RESPONDEBIS 1. Hoc ipso quia ordinantur & radicanur species, facilitatur simul potentia, nec experimur difficultatem, illis jam radicatis.

CONTRA est, quia non probatur in Response, cur illa facilitas in solas species referri debeat: quod enim illis jam radicatis non sentiantur, difficultas, non ex eo est, quod præter illas, nulla detur alia qualitas, sed ex eo, quia simul ex parte potentiaæ, produciatur dicta qualitas, produci que illam debere, probat argumentum; produci autem propter exercitium potentiaæ. Cæterum si quis non exerceret potentiam actu cognoscendi, sed sola v.g. repetitione memoriae circa actum quem fecit, posset sentire difficultatem in modo cognoscendi ut sentiret Cytharædus, si solas species cantionis imprimeret, & non uteretur digitis, ad illam exprimendam, sentiret difficultatem in modo Cytharisandi.

RESPONDEBIS 2. Hoc argumentum potius esse contra nos, si enim ad Cytharisandum non datur habitus. Ergo nec ad actus intellectus dabitur.

CONTRA est. Quia ut dicebatur supra, facilitas illa in actibus, non potest referri in aliud principium, quam in habitum: potest autem facilitas Cytharisandi referri in amotionem impedimentorum, causantem faciliorem nervorum flexuram. Præcipue cum intentum argumenti sit, per hanc instantiam probare, quod alia sit difficultas quæ se tenet ex parte potentiaæ, & alia ex parte objecti. Ex quo per negativum principium infertur dari habitum: quia facilitas quam experimur dum agit potentia, non potest in aliud principium referri.

CONFIRMATUR Conclusio 1. Si habitus omnis intellectualis consistit in coordinatione specierum, falsa esset hæc particularis. Aliquis habitus intellectualis, non consistit in coordina-

tione specierum ut notum est ex Dialecticis, sed vera hæc particularis, quod probatur: Quia habitus scientiaæ, non consistit in coordinatione & radicatione specierum: potest enim habere aliquis species scientiaæ coordinatas, & non habere habitum scientiaæ: potest enim aliquis iisdem speciebus uti frequenter, non nisi opinando, quibus utetur postea ad scientiam. Ergo habitus scientiaæ, non est coordinatio specierum.

CONFIRMATUR 2. Quia species sunt vicariae objecti, si autem objectum se solo concurreret, non faciliteret: Ergo nec species facilitabunt.

CONFIRMATUR 3. Datur promotivum objecti in ordine ad actum, tenens se à parte objecti & hoc est species: Ergo dabitur & promotivum tenens se à parte potentiaæ, & hoc erit habitus; & sicut ex communi sententia, si daretur species impressa Dei, esset illa condistincta à lumine, tenente se à parte potentiaæ, quam elevat, ita debet dari habitus intellectualis, distinctus, à speciebus, tenens se à parte intellectus.

OBJICIT 1. Ariaga. Quamvis alia sit difficultas tenens se ex parte potentiaæ, tamen non repugnat ut una eademque entitas utramque virtutem habeat, nec est necessitas eam multiplicandi. Hinc illa species & habebunt officium concurrendi cum potentia, & supplendi vicem objecti.

RESPONDETUR. Imprimis ex eo, quod aliqua entitas possit duarum vicem supplere, non est necesse extemplo inferre, talem entitatem, defacto dari. Nam à possibili ad factum non tenet. Consequentia licet ergo fortè non implicet qualitas, & facilitans potentiam & vices supplens objecti, non sequitur defacto jam dari ejus naturæ species.

Deinde ostendi potest necessitas multiplicandi hæc Entia: nam imprimis receptum est principium in Philosophia, quod, tot sint distincti habitus & qualitates: quot sunt distinctæ difficultates; distincta autem est difficultas tenens se ex parte potentiaæ, à difficultate tenente se ex parte objecti. Deinde quia potest reperiri expeditio & facilitas in representando & non reperiri facilitas in agendo. Ergo apparet distincta esse facilitativa hæc.

OBJICIT 2. Oviedo. Posita specie sufficienti ad apprehensionem objecti necessario illud apprehendit potentia, absque ulla indifferentia, sicut potentia visiva necessario videt objectum. Ergo in ordine ad apprehensionem non indiget intellectus habitu.

RESPONDETUR. Verum quidem esse, quod ad apprehensiones simplices saltem multas non sit necessarius habitus ut dictum in Logica, est

† (V) 3 tamen

tamen necessarius ad apprehensiones compositionis. Deinde immerito supponitur, quod facilitas consistat in specie sufficienti ad apprehensionem: in hoc enim non potest consistere facilitas, quod simpliciter & necessario est requisitum ad operandum, potestque intervenire & debet, etiam tunc, quando cum difficultate operamur: sed sufficiens species est necessaria ad operandum. Ergo in illa non potest consistere facilitas.

PARITAS allata de oculo non tenet. Quia quamvis oculus nunc clariorem, nunc minus claram visionem eliciat, tamen ut juvetur ad perfectius operandum sufficit requisita ad agendum meliora & commodiora poni; quis est v. g. vel approximatio objecti, vel luminis intensio, vel defectus humoris in oculo spectantis: & istis positis praequisitis oculus semper æqualiter operabitur. Hinc quia positis omnibus ad agendum requisitis semper eodem modo operatur, fit ut non indigeat ullo superaddito habitu.

Jam autem intellectus positus iisdem & omnibus ad operandum necessario praequisitis, quia interdum expeditius operatur, si v. g. frequenter vel intendatur actus, fit ut illum expeditiorem operandi modum in aliquod aliud principium referre debeamus, & non in ipsa praequisita ad agendum. Hoc autem principium est qualitas ex actibus acquisita, vulgo habitus.

INSTAT I. Oviedo. Objectum vel apprehenditur evidenter ut verum vel tantum probabiliter. Si evidenter ut verum, non potest non assentiri illi intellectus, si probabilis tota indifferencia intellectus ad assentiendum vel non assentiendum tollitur à voluntate. Ergo intellectus non indiget habitu ut se determinet.

RESPONDETUR. Transfert totum. Quia hic non queritur, undenam determinatio oritur, sed unde facilitas.

Deinde quamvis objecto proposito evidenter ut vero non possit non assentiri intellectus, potest tamen expeditius & minus expedite assentiri. Cur ergo ad hoc non dabitur habitus? Cum intellectus non sit determinatus ad modum expedite vel difficulter assentiendi: Universaliter etiam ex determinatione voluntatis non potest sequi facilitas assentiendi, quia in hæretico recenter converso datur voluntas imperans actum Fidei, & tamen sentitur difficultas in assentiendo.

INSTAT idem 2. Proposito objecto ut proposito objecto ut probabili sine imperio voluntatis non assentitur intellectus; posito autem imperio illo voluntatis non potest non assentiri.

RESPONDETUR. Etiam posito imperio voluntatis prædicto posse non assentiri intellectum, cum intellectui despotice non imperet voluntas. Sed posito etiam quod posito illo imperio non possit non assentiri voluntas. Quia potest expedite vel difficulter assentiri, datur locus principio facilitativo seu habitui.

OBJICIUNTUR 3. Paritates aliquæ.

Prima PARITAS est. Gustus per consuetudinem incipiunt sapere aliqua quæ non sapiebant. Nutritius item per assuefactionem consumit aliqua quæ antea consumere non poterat, & tamen in istis potentiis non dantur habitus. Ergo nec dabuntur in intellectu.

RESPONDETUR. Facilitatem quæ acquiritur in agendo tum primum referri debere in aliquod principium superadditum, si subiectum sit capax diversi modi agendi etiam positus omnibus necessario praequisitis sublatiisque e.g. materialibus impedimentis. Quia autem positus iisdem necessario praequisitis, semper eodem modo agit v. g. nutritiva, non eodem autem modo intellectus, fit ut non indigeat nutritiva, principio facilitativo superaddito, indigeat autem intellectus.

Et certe facilitas in digestionem refertur in qualitates ad similem digestionem disponentes, in intensionem caloris naturalis, qui est principium præcipuum, referri item potest in remanentia accidentia, ex illo cibo, quem antea nauseabat ventriculus, ratione quorum remanentium & prædominantium accidentium potest oriri appetitus ad cibum, antea cum nausea acceptum. Referri potest in amotionem humorum, qui antea contrariabantur tali gustabili. Quia verò facilitas tenens se ex parte potentia intellectiva in nullum aliud principium referri potest, nisi in qualitatem habitus, hinc inferimus per negativum principium, dari debere in intellectu habitus.

Secunda PARITAS. Angeli præter species nullos habent habitus. Ergo & in nobis non debent dari.

RESPONDETUR. Quia probabiliter putamus quod actus evidentes eodem modo semper operari Angelos pertinereque hoc videtur ad excellentiam naturæ illorum hinc fit, ut non habeamus fundamentum quod in ordine ad tales actus in Angelis detur habitus. Jam autem cum experiamur post frequentatos actus intellectus expeditius nos operari, & cum illam facilitatem in aliud principium referre non possumus, hinc fit, ut asseramus in nobis dari habitus intellectus. Caterum Suarez uterque, etiam in Angelis, ex eodem principio, ponunt habitus acquisitos, in ordine ad actus inevidentes.

DIFFI.

DIFFICULTAS II.

*An dentur Habitus in Volun-
tate.*

DICENDUM est. *Dari habitus in Voluntate.* Ita Suarez uterque Ariaga & Hurtadus, quamvis negent habitus in intellectu. Est autem conclusio contra Lugo & Oviedo.

PROBAT 1. Ariaga & recentior Suarez. Habituatus in aliquo peccato, potest in dies agnoscere suam malam consuetudinem, esse offensam Dei, & tamen magis facilitari in mala consuetudine. Ergo hæc facilitas, non proveniet à cognitione, sed ab alio principio.

RESPONDERI potest. Quamvis talis in dies percipiat majoritatem offensæ Dei: quia tamen non movetur illa cognitione, fit, ut in illam cognitionem, facilitas referri non possit: cumque moveatur Opposita cognitione delectabilis objecti, in hanc propositionem objecti delectabilis, referri potest dicta facilitas. Unde etiam quando infert Ariaga: si facilitas in voluntate referri debet in intensiorem cognitionem, se qui datos fuisse habitus peccaminosos intensissimos in Christo. Id etiam non convincet. Tunc enim cognitio respectu voluntatis est habitus, quando actualiter movet, nunquam autem Christus motus est illa notitia ad peccandum. Posset etiam ex Oviedo addi, cognitionem esse facilitativam voluntatis in operando, nonnisi in circumstantia negationis appositi moventis voluntatem actu. Reliqua etiam quæ adfert Ariaga bene solvit. Oviedo quem consule. *Hinc aliter*

PROBATUR 2. Dantur in intellectu habitus, nec referri possunt, in solas species coordinatas, tenentes se à parte objecti. Ergo & in voluntate dabuntur, nec referri poterunt, in solam propositionem objecti, itidem tenentem se, à parte objecti.

PROBATUR 3. Argumento negativo. Facilitas illa quam experimur in voluntate, sublequi post difficultatem operandi, non potest in aliud principium referri, quam in habitum.

RESPONDET Oviedo. Quod hæc facilitas reduci possit, in ipsosmet actus intellectus, & illius species. Quod sic explicat. Voluntas constituitur potens amare objectum, per cognitionem qua illi representatur ut bonum, & per negationem impedimenti ad talem actum, voluntas enim non potest agere, si sit impedita; hæc cognitio, est attractiva voluntatis, ad amorem talis objecti, & eo magis attrahit, quod objectum apparet magis bonum. Et hæc attractio vel est ex parte objecti, dum major ejus bonitas

proponitur, vel ex parte actus, cum vivacius idem proponitur, magisque tunc trahitur ad amorem, quando magis trahitur per cognitionem bonitatis objecti; quia tota ratio propter quam voluntas liberè fertur & inclinatur ad objectum, est, quia trahitur à bonitate. Ergo quo major apparebit bonitas, facilius trahetur. Tota ergo facilitas referri debet in ipsam cognitionem vivaciorem, vel majus bonum propositum.

Rursus actus quo voluntas fertur in objectum v. g. delectabile, relinquit speciem sui & objecti delectabilis; quo fit, ut postea intellectus, vis specierum quas antea habebat, & specierum quas modo ex actu relictas habet, quæ sunt quasi experimentales species, vivacius postea ipsum objectum apprehendat. Addit inferius duplicem facilitatem cogitari posse: unam formalem & transeuntem, aliam radicalem: Facilitas formalis consistit in cognitione ex illis speciebus antecedentibus elicita. Radicalis autem, qualem, & difficile mobilem, ad habitum requirit Philosophus, in illis speciebus experimentalibus, stabit. Ex quo ulterius infert: posse aliquem habere facilitatem propter vivacitatem cognitionis sine ullo habitu.

Infert rursus posse haberi facilitatem radicalem & formalem, ad duo objecta, licet non in summo gradu; quia potest oppositorum bonorum experimentalem quis speciem habere, & actus ex illis speciebus orti, possunt ad distincta bona inclinare.

Infert rursus eandem cognitionem sub diverso respectu esse necessariam ad simpliciter posse, & ad facile posse; est simpliciter requisita, in quantum includit minimum intensificationis, requisitum ad hoc, ut voluntas possit moveri, est autem requisita ad facile posse, ratione aliorum graduum intensificationis, qui supersunt. Quia tamen illi gradus intensificationis sunt ejusdem rationis, omnes tribuunt: facile posse.

CONTRA est 1. Quia hæc responsio ostendit totam facilitatem quæ se debet habere à parte objecti, non tamen explicat facilitatem ex parte potentia se tenentem, & tamen, etiam à parte sua, potentia, non se merè passivè habet, ad illam facilitatem, per quid ergo ad illam inducitur? Rursus, quid repugnaret manentibus iisdem experimentalibus speciebus objecti delectabilis, magis & magis facilitari voluntatem, in depromendo amore, illius objecti: Ergo apparet facilitatem illam, in meras species, non posse referri. Pone dari species experimentales à parte objecti se tenentes, & nunquam secutam fuisse appetentiam & consensum,

† (V) 4 sum,

sum, post illam experientiam; quomodo hinc erit facilitas, sine omni omnino actu, & nusquam se movente voluntate. Ergo apparet non rectè referri illam facilitatem in species. Rursus tota ratio libertatis non sistit in sola attractione, sed etiam in determinatione voluntatis. Ergo ut facilius se determinet, pro ista parte, debet dari principium facilitativum, & hoc erit habitus.

CONTRA 2. Ex duobus æqualibus bonis, potest voluntas etiam præcedente vivaciori propositione objecti melioris, eligere minus bonum, vel minus vivaciter propositum. Cur ergo ad talia bona volenda, non poterit dari facilitas, quæ cum non possit referri in propositionem objecti, debet referri in habitum. *Næque valet si dicas*, quod frequenti usu electionis minoris boni, species relictæ, ex usu minoris boni, facilitent voluntatem ad eligendum minus bonum; non inquam valet, si dicas id: Quia vel species relictæ ex minori bono proponunt illud ut majus, vel ut æquale bonum, & sic jam non stas in proposito: quia fieri potest, ut voluntati semper illud proponatur bonum, tanquam minus, & tamen frequentatis actibus, reddatur facilis aliquis, ad illud potius bonum volendum, quæ facilitas non potest referri in species, minus bonum, tanquam majus proponentes. Quod si dicas illud minus bonum vivacius proponendum. Contra erit, quia fieri potest ut proponatur majori vivacitate majus bonum, quam minus, & tamen ex frequenti usu, facilitetur voluntas ad minus illud, expeditè arripendum. Quod totum supponit hanc doctrinam. Quod voluntas possit pro sua voluntate, libertate eligere minus, & stante eadem apprehensione, frequentare suos actus, & ex frequentatione, acquirere facilitatem.

CONTRA 3. Quia de ratione habitus est, ut inclinet ad similes actus, à quibus est productus; sed species intellectus, producuntur ex actibus, vel ex notitiis actuum voluntatis: Ergo inclinabunt tantum ad actus intellectus, & ad notitias actuum voluntatis. Hic autem non queritur de inclinatione actuum intellectus, sed de inclinatione voluntatis, ejusque facilitativo.

OBJICIT 1. Oviedo. Voluntas ex repetitione actuum aliquando acquirit majorem difficultatem quam antea habebat in exercitio illorum. Ergo sicut quando acquirit facilitatem, dicitur reliquisse actus præteritos qualitatem quandam seu habitum, quo voluntas facilius exequitur actus suos: ita quando acquirit difficultatem, dicitur præcedentes actus reliquisse qualitatem aliam, quâ voluntas, difficilius alios similes exercet. Voluntas enim secundum se, non habet talem difficultatem.

RESPONDETUR. Non ex hoc principio simpliciter arguere nos, dari habitus, quia datur facilitas, alias etiam in membris, habitus, admittendi essent; sed quia hæc facilitas, non potest in aliud principium referri, quam in qualitatem acquisitam: quia verò illa difficultas, potest in aliud principium referri v. g. in conditionem objecti, & ipsi potentie inductas dispositiones, quæ augent potius difficultatem quam minuunt, ideo id non potest referri in qualitatem aliquam. Non raro etiam illa difficultas oritur nonnisi ex consequenti, & ita si aliquis habeat facilitatem odiendi Dei, inducto habitu amoris acquisito, reddetur difficilius odium, non propter qualitatem aliquam in se difficultativam, sed propter facilitatem inclinantem ad amorem, & ex consequenti reddentem difficile odium. Quod si aliquis poneret facilitatem & expeditum modum, difficile reddendi objectum, referri debere in qualitatem Habituum, de novo acquisitu talis minus convinceretur, hoc argumento.

OBJICIT 2. Idem. In appetitu brutorum non datur habitus, & tamen bruta, facilius appetunt objectum jucundum, quod pluries sentire. Ergo idem de voluntate dici potest.

RESPONDETUR. Disparitatem esse, quia appetitus brutorum, est potentia necessaria, & intus eodem semper modo, positus omnibus prærequisitis, agit; hinc non indiget principio, per quod facilitetur, ut expeditiori modo agat. Voluntas autem iisdem positus prærequisitis, posset non eodem modo agere, & ut eo modo agat, potest acquirere ex frequentatione facilitatem, sit ut illi habitus tribui debeat, cum in aliud principium, illa facilitas, rejici non possit.

INSTAT Idem. Voluntas eodem habitu instructa, potest habere facilitatem ad actus virtutis, in hac materia potius, quam in illa; quia hæc felicitas proveniat ab habitu, & ita fieri potest ut aliquis instructus habitu penitentiae, facilius illam exerceat jejuniis quam flagellis. Ergo facilitas illa non necessario oritur ex habitu.

RESPONDETUR. Non semel concessum est, quod facilitas aliunde etiam provenire possit, quam ex habitu, ut ad jejunium facilitas provenire potest, ex temperie parum digerente, ex humoribus qui absumuntur loco ciborum; sed tum temporis nonnisi facilitas refertur in habitum, quando in aliud principium, referri non potest.

OBJICITUR 3. Voluntas non potest ferri in incognitum, sed si darentur habitus, voluntas ferretur in incognitum, secundum illum scilicet excessum inclinationis, procedentis ab habitu.

RESPON-

RESPONDETUR. Excessus ille inclinationis, procedens ab habitu, non inclinatur independentem à cognitione, sed nonnisi posita illa, de quo infra.

DIFFICULTAS III.

Dantur ne in appetitu sensitivo & Phantasia Habitus.

NEGAT Suarez & Ariaga, affirmat recentior Suarez & Fonseca.

DICENDUM est, *Probabilius esse, non dari in istis potentiis, ullos habitus.*

RATIO. Quia ex una parte si in iisdem prærequisitis ponantur illæ potentia, eodem modo semper operabuntur. Ergo non est in illis reperire difficultatem, quæ se teneat ex parte potentia, ad quam superandam, dari debent habitus. Ex altera parte, bene id referri potest in species, in remotionem impedimentorum, & cætera similia.

DICES 1. cum recentiore Suarez tam appetitus quàm phantasia, operantur propter rationes motivas prius cognititas.

RESPONDETUR. Ad hoc ut dicatur aliquid esse capax habituum, supponi quidem debet, quod moveatur rationibus prius cognititis, sed hoc solum non sufficit; est enim necesse videre, an iis prærequisitis posititis, expeditius agere possit: & quidem expeditione non in aliud quam in habitum referibili. Quia autem phantasia & appetitus sensitivus, posititis omnibus prærequisitis, eodem semper modo agunt, fit, ut non indigeant habitu.

DICES 2. cum eodem. Experientia constat plurima animantia, ex frequentatione actuum acquirere facilitatem, in saltando, garriendo & cætera similia, quæ omnia referri non possunt, nisi in habitus phantasia.

RESPONDETUR. Possit id referri in semotionem impedimentorum, in compagum, ipso usu, flexurum, & similia. Præcipue in circumstantia specierum acquisitarum.

DICES 3. cum eodem. Licet appetitus sensitivus sit materialis & phantasia non nisi materialiter cognoscat, hoc non tollit, quo minus proponatur aliquid magis vel minus bonum, & quod inde sequitur, stat cum hoc, quod per illas cognitiones non determinetur appetitus, quantum determinabilis est.

RESPONDETUR. Proponi magis vel minus bonum, tantum arguit facilitatem oriundam ex propositione, consequenter ex speciebus, qualis facilitas concedi illis potest, sed non facilitas ex habitu.

DICES 4. Illæ potentia sunt capaces habitus, quæ nunc perfectos, nunc perfectiores actus, habere possunt; hoc autem competit etiam potentiis sensitivis, imò & vegetativis.

RESPONDETUR. Majorem esse ulterius mo-

dificandam ut dictum supra, illas scilicet potentias esse capaces habituum, quæ nunc perfectos nunc perfectiores actus habere possunt, si perfectio illorum, non in species, non in amotionem impedimentorum, rejici possit, perfectior autem operatio sensitiva, fit, ratione v. g. impedimentorum, quæ sunt ablata &c. vel si impedimentis potentia careat, fieri potest, ut inde oriatur difficultas operandi, eò quod careat speciebus requisitis iisque bene radicatis, cum catero qui ipsa potentia, sit determinata, ad eundem modum agendi. De quo innui supra.

DICES 5. Potentia indeterminata ad suos actus, est capax habitus, multæ autem potentia sensitivæ, non sunt determinatæ ad suos actus, qualis est etiam potentia loco motiva, quæ ad hunc vel illum modum, determinari potest à voluntate, despotice imperante.

RESPONDETUR. Potentias sensitivas esse determinatas ad unum modum agendi, posititis omnibus prærequisitis, quod autem motiva possit imperare voluntas, nunc hunc, nunc illum motum, non argui indifferentiam potentia motiva ad talem motum posititis omnibus prærequisitis; sed solum esse illam potentiam subditam voluntati, & inter prærequisita agendi, habere, voluntatis imperium.

Inter præcipua argumenta quibus probatur non dari habitus, hoc etiam est, quod non sit explicabilis modus, quo deberet concurrere habitus. *De quo, fit*

QUÆSTIO II.

De concursu Habituum ad actus.

HABITUS concurrere ad actus, nonnisi tanquam dispositionem, & conditionem quandam, docet Hurtadus, concurrere effective docet Suarez. Concurrere nonnisi per modum causæ formalis tanquam probabilius docet Pontius Disp. 65. num. 26. concurrere & formaliter & efficienter Ariaga.

DIFFICULTAS I.

Explicatur quo modo Habitus possit concurrere formaliter ad actus.

EXPLICAT I. Ariaga formalem istum concursum habituum, per inclinationem, ipsam autem inclinationem, per proportionem ad impulsu. Quia sicut impulsus qualitas, est natura sua, manum inclinans v. g. ad motum, & licet actu illa motum non producat, casu v. g. quo resistatur illi impulsui, actu tamen inclinat, sentimusque illam inclinationem, & illi resistendo laboramus. Ita habitus est impulsus natura sua inclinans v. g. ad producendum amorem, & dum est ille habitus in voluntate, posita, præ-

fenti cognitione voluntatem, inclinatur ad Amorem. *Hec explicatio*

NON SATISFACIT. Quia dici potest, quod cum impulsus sit quid violentum, mirum non est, quod ut effectum habeat, sentiatur inclinatio illa impulsus, casu, quo impediatur, ne effectum habeat, habitus autem, cum non sit quid violentum, non est ratio, cur casu quo effectum non habeat, inclinatio illius sentiatur, idque vi proportionis cum impulsu. Deinde videtur longè esse dispar horum duorum ratio. Impulsus enim cum non duret diu, debuit illi provideri à natura, & si impediatur, sentiatur ejus inclinatio ordinaturque à natura, ut vel statim producat effectum, qui est motus, vel si non producat motum, depugnet contra impedimentum, resistens sibi, ne producat effectum. Hinc ex illo ordine, facile est illam inclinationem, in impulsu ponere. Quia autem non ordinatur ad hoc habitus, ut dum est in potentia, actu semper inclinet, sed sufficit, ut possit inclinare, qui ergo eodem modo se habebit inclinatio habitus, quæ quæritur formalis, cum inclinatione, proveniente ab impulsu.

EXPLICAT 2. Pontius. Quia scilicet habitus ita disponit potentiam, ut eo supposito, vel ipsemet actus, sit delectabilior voluntati, vel ab objecto actus apprehenso, causetur aliqua causalitas, delectans, præviaque ad actionem, propter quam qualitatem delectantem, voluntas agat delectabiliter; vel certè per eam tollitur habitus oppositus, qui reddebat actionem difficilem. *Hec explicatio*

NON SATISFACIT 1. Quia hic debet dari talis explicatio concursus formalis, quæ conveniat omni habitui acquisito, expellere autem habitum oppositum, per hocque formaliter facilitare, non convenit omni habitui: fieri enim potest, ut habitus virtutum acquisitos habeamus, & eorum concursum formalem, sine expulsionem habitus vitiosi v. g. sine expulsionem habitus luxuriæ, in istis qui sunt virgines. Deinde ipsa illa entitas habitus oppositi, debebat concurrere formaliter, sicque facilitare, de hac ipsa quæro, per quid salvetur concursus illius formalis.

NON SATISFACIT 2. In quantum dicit, quod ab objecto, præviè ante actionem, producat aliqua qualitas delectans. Tum quia facile negabitur talis qualitas, videturque esse non nisi mera divinatio. Tum quia vel illa qualitas agit aliquid. Ergo tribues concursum, mediante illa qualitate habitus, tribues in quam concursum, etiam in genere causæ efficientis, quem tamen negat Pontius vel illa qualitas nihil agit, & de illa iterato reddit quæstio, quomodo inclinet? Tum quia si totus concursus habitus, sistit in productione illius qualitatis,

non assignabitur ratio, cur expeditius substantiam actus producat voluntas informata habitu. Tum quia interdum delectatur aliquis in productione actus virtuosus v. g. in dissonu objecto prohibito, & tamen sentit difficultatem; Ergo aliud est ista delectatio, aliud facilitas quam tribuit habitus. Tum quia si illa qualitas, producit ab objecto, non ostendis concursum formalem immediatum habitus ipsius, de quo quæritur, quid sit? Et deinde objectum per receptam sententiam, non aliud potest producere, quam actum & speciem, qualitas autem illa, neque est actus neque species. Non inquam actus, qui sit v. g. actus intellectus, loquendo, de habitu intellectuali.

NON SATISFACIT 3. In quantum explicat illum concursum quod habitu supposito, reddatur actus delectabilis voluntati. Non satisfacit inquam, tum quia de hoc ipso quæritur, quomodo reddatur ille actus delectabilis delectabilitate habituali? Tum quia etiam posito haberi hanc delectabilitatem habitualement, restat quærare, quomodo id fiat, in genere causæ formalis. Tum quia reddi potest aliquis actus delectabilis voluntati qualis esset Actus primæ delectationis sine ullo habitu. Ergo per præcisam delectabilitatem, influxus habitus, in genere causæ formalis, malè explicatur.

EXPLICAT 3. Oviedo. Habitus est qualitas quædam, ex se determinata, ad producendum actum, in quem inclinat, hanc propensionem seu conatum ad talem actum habet dependenter quoad efficaciam, à libertate voluntatis, cui subditur, quo fit, ut cum quoad exercitium dependeat illa propensio à libertate voluntatis, fit inquam, ut salva libertate fiat. *Hec explicatio*

NON SATISFACIT. Concedo enim habitum quoad exercitium dependere à libertate, concedo esse natura sua propensionem ad actum, & post hæc omnia, quæro, quomodo in genere causæ formalis fiat ille concursus, quomodo comparatè ad Actum illam suam propensionem exerceat habitus.

Antequam explicetur difficultas.

PRÆMITTO 1. *Definitivè habitum, esse qualitatem inclinativam*, ut vidimus supra & sicut impulsus est qualitas motiva, species est qualitas vicaria objecti, ita datur etiam qualitas quædam inclinativa & facilitativa, tenens se à parte potentia, hæcque vocatur habitus.

PRÆMITTO 2. *Hanc qualitatem inclinativam, cum sit in genere causæ formalis, necessario unitam debere esse*, voluntati, aut cuicunque alteri principio, quod inclinare dicitur. Neque enim dicitur forma concurrere formaliter, nisi unita.

PRÆ-

PRÆMITTO 3. *Concursum in quacunq; tandem explicatione quem præbet in genere causæ formalis habitus, respectu actuum, non posse esse consimilem simpliciter, & in omnibus, ei concursui, quem præbent formæ aliæ v. g. albedo ad constituendum concretum quod est album. Quia talis concursus semper actualiter exhibetur, nihil enim aliud est in re, nisi forma unita subiecto apto. Sicut ergo dum est unita, necessario est unita, sic dum est unita, sic dum est unita, necessario in genere causæ formalis concurret. Jam autem concursus, quem respectu actuum, in genere causæ formalis, exhibet habitus, non est semper actus: aliàs etiam non posita cognitione objecti, inclinaretur voluntas ad actum, ferreturq; in incognitum. Cæterum talem exhibet concursus, ut constituat potentiam habituata, semper enim, dum est habitus unitus, constituit habituatum. Unde concursus illius in genere causæ formalis, duplicem cogitare possumus, unum quasi vitalem, qualem multi concedunt præmissis respectu conclusionis, intentione efficaci respectu electionis, & imperio efficaci respectu actus imperati. Alium concursus considerare possumus, quantumvis procedentem in genere causæ formalis, qui fiat modo non vitali, qualem imaginari possumus, si detur prædeterminatio, qualitas inanimis, quæ sua entitate, sine ullo motu vitali, potentiam ad opus urget, & qua ratione pondus impositum humeris, imprimit gravitatem. His præmissis*

Explicatur. *Quomodo voluntas inclinetur ab habitu concurrente in genere causæ formalis. Proponitur imprimis objectum Voluntati, & motum, secundum quod agere debet Voluntas, nihil enim est Volitum nisi cognitum, & hoc est primum extrinsecum principium agendi, & à quo incipit omnis motus Voluntatis. Posita hac illuminatione Voluntatis, & principio movendi Voluntatem vitali, accedit aliud principium extrinsecum non vitale, nempe habitus, & ad id, quod ab intellectu propositum est, anteq; usurpatum, morto modo inclinatur. Sicut enim v. g. diaphano posito & objecto in debitis prærequisitis, sine ulla diaphani actione, repræsentatur objectum in diaphano, sequiturq; ut officium suum & naturam, diaphanam exerceat, ex ipsa quantumvis extrinseci objecti propositione. Sic posita illuminatione debita ad actum, sine ulla actione, quæ proficiatur ab habitu, sequitur ut naturæ suæ jus impleat habitus, quæ est, inclinare potentiam ad similitudinem actuum positionem, quæ inclinatio cum ut dixi fiat mortuo modo, & ex entitate ipsius habitus naturæque, cum definitio illius sit esse inclinationem, fit ut modum illum, ipsa sua entitate exerceat. Et sicut pulsatis*

chordis unius cytharæ, fides aliis resonant non pulsata, propter naturalem Sympathiam, & proportionatam extensionem. Sic cum maxima sit proportio inter illuminationem illam præviam, & inter habitum fit, ut prima illa invitatione Vitali, quæ est per actum intellectus posita, propter naturalem Sympathiam, proportionem, & convenientiam, in prædicato invitandi, ad similes actus, fit inquam ut juri suo satisfaciat habitus, adeoq; inclinet. Porro sicut fides antequam pulsatur, non respondet sonus proportionatus in altera Cythara, sed solum respondere potest, si ponantur prærequisita, ita & ante propositionem objecti, non respondet, sed tantum respondere potest inclinatio, oriunda ex habitu.

Quod alterius ut explicetur videndum est, quod ea, quæ in genere causæ formalis concurrunt, in duplici ordine considerari possunt. Primo in quantum ultra constitutionem concreti seu formati, non plus, in unione illius formæ, intendit natura. Et sic quousque unita est subiecto, verbi gratia, albedo, constituit album, nec dependet jam à quoquam, ut hoc genus exerceat causæ formalis. Secundo considerari potest in eo ordine causæ formalis, ut præter constitutionem ejus concreti, quod constituere nata est, adhuc procedat alterius, ad aliquid aliud. Sic, verbi gratia, forma, quæ est albedo, in quantum est disgregativa visus, requirit visum, hunc enim solum disgregat: Lucem, nam in tenebris nulla fit disgregatio. Requirit denique debitam distantiam, nam si ponatur supra sensorium non disgregat illud. Data item prædeterminatione voluntatis, ad hoc, ut constituatur ex illa compositum, quod est prædeterminatum esse, ad hoc non plus requiritur, quam ut sit unita subiecto, sed in ordine ad hoc ut aliquid aliud in eodem genere causæ formalis principiet, formaliter determinando, indiget requisito, verbi gratia, cognitionis proportionati concursus &c. Et hic concursus in genere causæ formalis appellari potest concursus ad aliquid extrinsecum, qui fit ipsa entitate, quantum est de se, inclinante semper in actu Primo, inclinatura in actu secundo, si circumstantiæ ponantur. Sic etiam & habitus ut faciat concretum cum voluntate, quod est, esse habituatum, & ut in hoc genere causæ formalis, quod est ad intrinsecum (ut ita dicam) concurrat, nullo alio indiget, nisi unione cum voluntate, tamen ut concurrat ad aliquid extrinsecum in genere causæ formalis, est necesse, ut habeat prærequisita, quale imprimis est illuminatio ex parte intellectus, propter rationes prædictas. Et deinde ex eo quia inter habitus, voluntatis, & inter modum agendi ipsius necessario debet esse proportio, sicut enim non inclinatur voluntas habitibus intellectus,

ut -

utpote sibi improprietatis, sic nec inclinaretur habitibus voluntas, si proportionati voluntati non essent, imò hoc ipso à ratione habituum voluntatis deficerent, si interveniret improprietio. Cum itaque modus agendi voluntatis, sit agere, ex prævia cognitione, etiam proportionatus voluntati habitus ipsius, inclinare debet, posita prævia cognitione.

Breviter ergo concurret habitus in genere causæ formalis ad actus voluntatis, quia inclinat suam entitatem mortuo modo per modum principii, si ponatur alia prærequisita. Idem proportionatè dicendum est de habitibus intellectus, tantum quod ante præcognitionem, non sit necessaria alia præcognitio similis, sicut ante cognitionem actum voluntatis, ad quem inclinat habitus voluntatis, est necesse ponere præcognitionem, sed tamen erat necessaria occurrentia, & propositio objecti. *His explicatis*

DICENDUM est. *Quod habitus concurret ad actus, etiam formaliter.*

PROBATUR 1. Quia habitus concurret ad actus, sed non concurret in genere causæ finalis. Nam finis actuum, est alius longè; non etiam concurret in genere causæ materialis, quia non ad habitum spectat recipere actus & subiectare, sed ad potentiam, non etiam concurret in solo genere causæ efficientis. Ergo etiam concurret in genere causæ formalis. Quod autem non concurret in solo genere causæ efficientis. Ratio est, quia est impossibile causare in genere causæ efficientis, & non ponere actionem, rursus impossibile est ponere actionem, & non ponere actionum effectum. Sed habitus causat ante positionem effectus, quia habens habitum ebrietatis, sentit se habere inclinationem antequam inebrietur, & sentit se inclinari ut ipsam volitionem inebriationis eliciat. Et sic de reliquis habitibus.

PROBATUR 2. Quia si non causaret etiam in genere causæ formalis habitus, illa inclinatio quam sentimus ad actus, non posset ostendi, quodnam principium habeat.

PROBATUR 3. Quia possibilis est talis causandi modus, & quæcunq; indicia legitima possunt haberi causalitatis in genere causæ formalis, ea ostendi poterunt, etiam in habitibus.

DIFFICULTAS II.

An habitus concurret etiam effectivè.

DICENDUM est affirmativè.

PROBAT 1. Ariaga. Quia impulsus producit effectivè motum, ergo & habitus quia etiam ille est impulsus ad actum.

RESPONDETUR. Concedi debet impulsui vis productiva effectivè impulsus, quia nisi tribuatur vis agendi ipsi impulsui, sæpe nullum aliud principium effectivum motus poterit ostendi. Non raro enim moventur impulsui, quæ

se ipsis moveri nequeunt; si autem semel impulsus est causa effectiva motus, cur non erit semper? Jam autem non concessa causalitate effectiva habitui in actus, assignari posset principium effectivum? illorum, ipsa potentia.

PROBAT 2. recentior Suarez. Quia habitus est veluti semen actus; semen autem concurret effectivè.

RESPONDETUR. Figuratum esse locutionem, quod habitus sit semen, potestque habere similitudinem cum semine nonnisi in hoc, quia sicut semen deciditur & pullulat ex substantia viventis, ita habitus ex actibus. Deinde non est necesse tribuere habitui vim efficiendi actus, quia efficientia actuum, potest bene tribui alteri principio; nempe intellectui, multorum autem viventium efficientia, non potest alteri tribui quàm semini. Quanquam per multos etiam muliebre semen, effectivè ad generationem non concurret. *Hinc aliter*

PROBATUR 3. Experientia. Quia scilicet non tantum experiri solemus inclinationem ante positionem actus, sed etiam in ipsa illius effectione & productione experiri solemus maiorem facilitatem, quæ in aliud referri non potest, nisi in conversum habitus in genere causæ efficientis, ipsumque hoc quod minori conatu agat & tamen expedite anima, ostendit, hoc effectivum aliud, ejusdem actus.

RESPONDEBIS in principiis Vasquez, quod eo casu non concurret ad actum, sed ad modum quendam actus ille habitus.

CONTRA 1. est. Quia hæc responsio, non negat, quod effectivè concurret habitus, licet effectum illius non dicat esse ipsum actum, sed modum aliquem illius actus. Quod autem concurret ad ipsam entitatem actus, non verò ad solum modum illius, sic probatur. Ille modus vel est modus entitativus vel modus essendi, seu formalitas sola, si concurret habitus, ad modum illum essendi: Ergo concurret ad entitatem actus, quia hic modus essendi, est identificatus realiter ipsi actui, impossibile autem est concurrere ad aliquid realiter, & non concurrere ad alia, cui illud identificatum est realiter, Quod si ille modus est modus entitativus. Contra est: Quia non erit ratio, qui fiat, ut sentiantur facilitas in producenda ipsamet substantia actus, si ad substantiam actus non concurret ille habitus. Deinde si potest habitus concurrere in genere causæ efficientis ad modum illum actus: Ergo apparet, quod illi talis causalitas non repugnat. Ergo illam etiam in substantiam actus exercere poterit. Denique non sunt multiplicanda entia sine necessitate, nulla autem necessitas prædicti modi: Ergo si habitus concurret effectivè, potius concurret, effectivè, ad ipsam entitatem actus.

CONTRA 2. vel producit etiam potentia illud modum, vel solus habitus, si producit solus habi-

habitus, Ergo ad aliquid producendum, erit simpliciter necessarius habitus naturalis, nempe ad illum modum. Rursus si illum modum producit solus habitus, inexplicabile est, quomodo faciliter tunc potentia, in producenda ipsa substantia actus, si autem illum modum producit etiam Voluntas, Ergo cum habitu agens, magis defatigabitur, producendo scilicet & ipsum actum, & modum, sicut & nos fatigamur oratione v. g. Pfalterii & attentione ad illam.

NEQUE VALET si dicas, quod currus cum rotis magis ponderet quam sine rotis, & tamen tractio illius cum rotis, facilior est: ita plus efficit Voluntas efficiendo & modum & actum, effectio tamen illius modi, faciliat ipsam productionem actus. Non inquam valet si dicas, Quia quando rotæ facilitant tractionem maioris ponderis, id inde fit, quia rotæ influunt sua circumvolutione, ad ipsum movendum currum, & mediantibus rotis, fit influxus ipsius primum moventis v. g. bigæ alicujus, quam similem actionem, si tu concedis modo illi, concedis influxum effectivum, in ipsam substantiam actus, ut scilicet potentia & habitus, producendo illum modum, producat & ipsam substantiam actus.

NEQUE VALET ulterius si dicas, Quod sicut concessum est à nobis dari inclinationem, quæ fiat ipsa entitate in genere causæ formalis, & antecedit positionem actus: ita etiam dari ipsam entitativam facilitatem, quæ etiam concurrat, nonnisi in genere causæ formalis: Nam urget ratio adlata, pro isto concursu effectivo. Deinde quia non tantum ante positionem actus, experimur inclinationem, sed etiam ipsam facilitatem exercitii, quæ in aliud non potest referri, quam in concursum effectivum.

Ad ea, quæ pro urgenda hac Responsione adferri possunt solvenda, habendum præ oculis est. Quod concessio influxu in entitatem actus habitui, erit adhuc distinctus habitus naturalis acquisitus, ab habitu supernaturali infuso: quia actum illum totum quoad entitatem potuisset elicere Voluntas, quamvis non cum tanta facilitate; potentia autem naturalis, sine habitu infuso, aut auxilio locum ejus supplente, causare neutiquam potuisset actum supernaturalem. Deinde quamvis ad substantiam actus sufficiens sit potentia, quia tamen non est sufficiens ad illam expedire & cum facilitate elicendum, hinc fit, ut agnoscamus concursum habitus, effectivum actus. Quando autem urgetur: Quod si concurrat habitus effective: deberet illi respondere aliqua formalitas, quæ non respondeat ipsi potentia, eo quod duabus causis concurrentibus, unicuique sua formalitas respondere debeat, eaque distincta, id etiam non convincit. Videmus enim, quod concurrente causa prima & secunda ad eundem effectum, nulla respondeat formalitas causæ primæ,

quæ non respondeat secundæ, & è converso. Idque videtur universaliter non requiri, quando duæ causæ concurrentes sunt sibi subordinatæ. Quia autem habitus subordinatur potentia, hinc fit ut nulla formalitas respondeat potentia, quæ non respondeat habitui. Potest etiam formalitas hæc distincta ostendi, nempe ipsa facilitas, in substantia actus, faciliter prodeunte.

DIFFICULTAS III.

Solvuntur Objectiones.

OBJICIT Pontius. Si concurreret in genere causæ efficientis habitus, id idè esset, quia habitus daret potentia facilius operari, sed ab illo concursu non potest habere potentia, facilius operari. Quod ipsum probatur, quia ea tenus haberet à concursu habitus, facilius operari, quatenus à concursu proprio, haberet, difficilius operari, sed hoc est falsum, quod probatur, quia difficultas potentia in agendo, est difficultas sensibilis, quam experimur in nobis, Ergo provenit ab aliquo quod sentimus, sed prius non sentit potentia concursum aut influxum suum, Ergo difficultas illius non oritur ab influxu formaliter.

RESPONDETUR. Hanc objectionem involvere multa incerta. Nam imprimis supponit: Quod posito concursu habitus, tollatur aliquid ex proprio concursu potentia, quod falsum est. Eodem enim modo ut ante, pro sua parte, potest Voluntas cum habitu concurrere, imò deberet magis, hoc est intensius concurrere, alliciente duplici principio ad operationem, hoc est, propositione objecti, & inclinatione ab habitu oriunda. Deinde non apparet, quæ sit ista sensibilis difficultas, hoc est materialis in operatione spirituali, quod si nomine difficultatis sensibilis, veniat difficultas, quæ sit per experientiam cognita: hæc quidem non negatur, sed tale etiam sentiri seu experiri, datur in actibus intellectus & Voluntatis cum ipsam facilitatem vel difficultatem experiamur, & ipsum etiam concursum potentia, qui identificatur ipsis actibus. Denique alia est hæc propositio: Quod difficultas in operando sumatur ex ipso influxu potentia, & ex concursu proprio illius, & hæc propositio est falsa, quia si ea difficultas oritur ex proprio concursu potentia, cum concurrat etiam potentia cum habitu, etiam cum habitu sentiri deberet, cum tota ratio difficultatis, ponatur, concursus proprius. Et alia est hæc propositio: Quod ipse concursus potentia, non faciliat actum, & ista propositio est vera, Videtur autem arguens istas duas propositiones confundere. Deinde nego, quod potentia non sentiat in suo actu & influxu difficultatem vel facilitatem, licet non sentiat distinctionem inter influxum & actum.

INSTAT I. Idem. Idè habet potentia difficultatem ab influxu suo, quia totum conatum
† (x) inten-

intendit, & absq; concursu alterius causæ, ipsamet totaliter, causat actum. Sed ex hoc non deberet sentire difficultatem, quæ superari deberet per habitum, quia potentia visiva exhibet totum conatum suum ad actum visionis, & tamen non sentit difficultatem, per hoc præcisè quod exhibeat totum conatum quem potest, & quod non adsit concursus supplens partem concursus.

RESPONSUM supra. Quia visiva in iisdem circumstantiis, semper eodem modo operatur, positisque prærequisitis, nunquam facilius videt; fit, ut non sit fundamentum tribuendi illi comprincipium facilitativum. Jam autem in iisdem prærequisitis, intellectus, non eodem modo operatur, sed cum sensisset difficultatem postea facilitatur, hinc habetur fundamentum tribuendi illi comprincipium facilitativum. Quod principium, quod etiam in genere causæ efficientis agere debeat, probatum supra. Deinde argumentum multum probat: probat enim ne quidē concursus in genere causæ formalis tribui debere habitui, cum etiam illo destituatur visiva.

INSTAT II. Idem. Si proponatur bonum delectabile voluntati, ut delectabile præcisè, non sentit ullam difficultatem in ejus prosecutione quoad primum actum, & tamen habet influxum totalem in illum actum, absque concursu habitus.

RESPONSUM supra. Non ex eo præcisè, quod sola potentia concurrat, sentiri difficultatem in omnibus actibus; quare autem sentire difficultatem, & illam auferri arguat habitum, & quando, dictum supra.

NOTO I. Difficultatem quæ in agendo sentitur non esse refundendam in hoc solum principium, quia nullum aliud principium concurrat cum potentia. Ratio, quia multa concurrunt se solo, ut principia necessaria, Deus creans, & tamen ex hoc, non oritur ulla difficultas.

NOTO II. Difficultatem hanc provenire interdum à propositione objecti, ut si tanquam arduum proponatur, & hæc difficultas interdum experiendo, interdum radicatis speciebus vincitur.

NOTO III. Difficultatem quam experimur in operando, interdum provenire ab aliquo positivo, ut cum provenit ab habitu in oppositum inclinante, quo casu si sit ita intentus habitus, ut exigit corruptionem oppositi, facilitas quam adferet habitus, erit ex consequenti corruptio alicujus positivi; ita ad facilitatem, corruptio habitus oppositi, habeat se tanquam removens prohibens. De ipsa autem difficultate discutendo, quam universaliter debet tollere habitus, illa dupliciter à nobis spectari potest, I. ut subest nostris conceptibus, & sic apprehendimus illam tanquam formam impediens potentiam. II. prout est in re & sic accepta, aliud dicit in recto, aliud in obliquo: in recto, nihil aliud est, nisi ipsa potentia, in obliquo autem connotat negationem expeditionis promptitudinis, quam negationem, dicimus, in ipso exercitio actus, non videri unde tollatur, nisi concedatur effectivè concurrere habitum. *Hinc consequenter*

INFERES, non ex concursu proprio & solius potentia illam oriri difficultatem, sed oriri ex ipsa potentia, non expedita, non prompte agente.

OBJICIT II. Idem. Per hoc quod potentia habeat inclinationem ad unum actum v. g. intemperantiæ, oppositus actus erit ipsi difficilis, qui non esset ipsi difficilis, si non haberet illam inclinationem, & ideo aliquis actus est ipsi facilis, quia aliàs erat difficilis, vel quia tollitur inclinatio ad oppositum actum, vel quia additur inclinatio ad actum illum, qui fit facilis, unde neq; ratione, neq; experientia, colligitur alia difficultas aut facilitas, in potentia, ad actus eliciendos. Ergo habitus solum debet poni, vel ad dandam inclinationem ad actum, vel ad tollendam inclinationem ad oppositum actum.

RESPONDETUR. Duplicem nos sentire negationem facilitatis in eliciendo actu qui postea à nobis facile elicitur. I. sentitur à nobis negatio facilitatis, quæ antecedit positionem actus, quia scilicet post propositionem objecti, antea non sentiebamus nos inclinari ad actum, postea verò sentimus, & hanc facilitatem dicimus oriri, negationemq; illius tolli præcisè ex vi concursus, quam in genere causæ formalis, præbet habitus. II. negatio facilitatis sentitur in ipsa positione actus, quod scilicet ponatur actus cum relictione interdum, vel saltem cum quadam in expeditione ita ut postea sentiamus potentiam expeditè ipsum actum ponere, & hoc dicimus non ab alio principio provenire, nisi ab ipso concursu habitus, in genere causæ efficientis. Utramque hanc negationem facilitatis, augere potest positio habitus oppositi. Sed hæc difficultas non est universalis ut dictum supra. Directè ergo negatur, ideo actum ipsum facilem esse, qui aliàs erat difficilis, quia tollitur inclinatio ad oppositum, vel quia additur inclinatio antecedens actum, potest enim dari tertia facilitas, in ipso exercitio actus.

INSTAT I. Idem. Per concursum habitus, in genere causæ efficientis, non potest tolli inclinatio in oppositum actum, neq; addi inclinatio ad ullum actum, quod ipsum probat, quia concursus actualis habitus, solum habet supplere illam partem concursus, quæ non adest, & influxus adæquatus potentia & habitus habet solum effectivè & formaliter tantum facere quantum fecisset concursus adæquatus solius potentia, qui sufficeret ad actum, si adfuisset, sed neq; pars concursus potentia, quæ deest, præfenti concursui habitus, neq; totus influxus illius, tollunt inclinationem potentia ad oppositum: aut si tollunt, jam non esset productio habitus difficilis potentia. Ergo neq; partialis influxus potentia & habitus, neque totalis influxus ipsius potentia, tollit inclinationem ad oppositum.

RESPONSUM supra. Immerito imaginari Pontium, quod tollatur pars concursus propter accessum habitus, non ergo ex illo principio facilitatur potentia, quia diminuitur ille concursus, sed ex alio principio, jam explicato.

INSTAT

INSTAT 2. Idem. Quando aliquis habitualiter intemperans sentit difficultatem in eliciendo actum temperantiae. Ergo ab aliquo oritur illa difficultas. Tum sic vel illud à quo oritur illa difficultas, formaliter loquendo, est solus habitus intemperantiae absque aliqua productione, vel alia qualitate producta per ipsum, vel est productio aliqua alicujus alterius qualitatis, aut alia illa qualitas. Si dicatur primum, habetur intentio, quia quidquid habitus facit seipso, absque productione, facit illud non quatenus concurrat effectivè, sed quatenus determinat formaliter in genere causae formalis, & haberet id facere, quamvis non esset productivus ulla ratione. Si dicatur secundum, praterquam quod nihil possit produci ab habitu intemperantiae nisi actus intemperantiae, etiam de illo producto queri potest, utrum in genere causae formalis an in genere causae efficientis faciat difficilem actum temperantiae. Si formaliter. Ergo & habitus formaliter tantum facit difficilem actum oppositae virtutis, si effectivè dabitur processus in infinitum.

RESPONDETUR. Quod intemperans à duplici principio sentiat difficultatem in exercendo actum temperantiae. Imprimis ab habitu opposito, quae difficultas est in genere causae formalis, contingit autem eo modo sentiri difficultatem illam, quia scilicet quando proponitur intemperanti objectum temperantiae excitatur mens ut advertat, quod esse temperantem, oppositum sit praehabitis actibus intemperantiae, propositioneque facta intemperantiae, in genere causae formalis, modo supra explicatio, inclinatur habitus intemperantiae. Secunda est difficultas, quam sentit intemperans in eliciendo actum temperantiae, annexa est ipsi exercitio actus, & haec oritur ab aliquo negativo, hoc est ab ipsa potentia non habente facilitatem ad agendum, ad quem secundum modum difficultatis non attendit objectio, neque illum ponit inter modos difficultatis, cum tamen ponere necesse fuerit & hanc postea difficultatem, tollit unitus voluntati habitus temperantiae, coefficiendo cum voluntate actum temperantiae. Unde etiam ipse habitus intemperantiae, ad actus qui facile ab intemperanti fiunt, concurrunt in genere causae efficientis.

INSTABIS 3. Si habitus intemperantiae, reddit difficilem actum temperantiae, nonnisi in genere causae formalis, etiam reddendum facilem actum temperantiae ab habitu ejusdem, nonnisi in genere causae formalis.

RESPONDETUR. Illa difficultas, quam facit habitus intemperantiae, dum exerceri debet actus temperantiae, est difficultas antecedens actum temperantiae concedo; quod fiat in genere causae formalis, ab ipsamet intemperantia. Hinc etiam facilitas quam ante actus temperantiae intemperans sentit, erit facilitans proveniens ab habitu temperantiae, in genere causae

formalis. Quia tamen prater difficultatem illam antecedentem, habet intemperans difficultatem, in ipso exercitio actus temperantiae, quae potest referri in aliquid negativum, nempe potentiam non exercitatum, hinc datur adhuc locus habitui, qui concursu suo effectivo, illud negativum, quod difficultatem adferebat, tollit. In id etiam principium haec difficultas resolvitur potest quia non apparet quem & qualem influxum physicè & in genere causae efficientis difficultativum, exhibeat intemperantia, quando fit actus temperantiae, cum concursus illius effectivus, nonnisi ad actum intemperantiae extendatur, utpote, cum nonnisi ad hos actus concurrere possit effectivè, extensioneque suae efficientiae moveri à quibus similibus est productus, non est autem productus habitus intemperantiae. Bene autem intelligi potest, quomodo possit concurrere effectivè habitus temperantiae, ad ipsum actum temperantiae.

OBJICIT 3. Idem. Ideo habitus deberet habere concursum effectivum, & non sufficit concursus in genere causae formaliter determinantis, quia non potest esse absque effectivitate talis determinatio, potest autem fieri determinatio sine concursu in genere causae efficientis, quod probat, quia intentio determinat ad electionem & tamen effectivè ad illam non concurrunt assensus item principiorum, determinat ad conclusionem, nec eam efficit, delectatio item quam ante actum prosecutionis producit objectum in appetitiva potentia, inclinatur ad prosecutionem, & tamen illam non causat efficienter. Ergo nec habitus causabit efficienter.

RESPONDETUR. Ex dictis, quod inclinatio & facilitas antecedens actum, intelligi possit, sine concursu effectivo, & quia tam intentio quam praemissa, quam delectatio, habet se antecedenter ad positionem actus, fit ut id principiare possint in genere causae formalis solius. Sicut etiam nos non negamus, facilitatem quae antecedit positionem actus, praestari nonnisi in genere causae formalis. Sed negamus intelligi posse facilitatem annexam ipsi exercitio actus, sine concursu effectivo. Deinde cum intentio, praemissa, & cetera similia, sint per modum transeuntis, mirum non est, si denegetur illis ratio potentiae productivae, seu principii coeffectivi. Sed habitus, cum sit per modum qualitatis permanentis, habet vel ex hoc ipso, proportionem, ad effectivè concurrendum, habendamque rationem principii coeffectivi. Directè autem ad argumentum respondendo, nego illam causalem, ideo debere dari concursum effectivum habitus, quia illo non dato, non posset intelligi concursus ejusdem habitus in genere causae formalis, sed quia non esset, in quod principium referretur facilitas, in ipso exercitio actus.

ADDO an plus vel minus cum habitu, applicet se se potentia ad agendam, taxam applicationis certam, dari non posse. Posita enim etiam debili positione objecti, ex accidenti aliquo, v. g. ex sensualis partis affectione, sequitur intensa actio voluntatis, & contra fieri, potest, ut viro probio, intensissime proponatur objectum delectabile, quo non movetur, movetur autem improbus. Exercitio item Logico, levis advertentia sufficit, ad recte syllogisandum, secus tyroni. Interdum etiam intensio voluntatis, præter principium elicitivum, quod est ipsa voluntas, referri debet in ipsam propositionem objecti, quæ clarior & vivacior movet etiam ad actum intensiorem: Rursus fieri etiam posset, quod propter habitum, intensius operetur voluntas, quam operata fuisset sine habitu, casu quo & objectum intensè proponatur, & intensus sit habitus, quia tunc ex duplici principio invitabitur & inclinabitur ad agendum; contingere autem hoc etiam potest, ut voluntas non ita applicate operetur, ac operata fuisset applicatè, si non facilitasset habitus. Unde doctores exercitati non tanta applicatione argumenta formant, ac incipiens Logicus. Casu autem quo applicatur voluntas intensè, contingere potest, ut quem actum intensum eliciisset cum habitu, eundem sine habitu eliciat actum, & æquè intensum, majori non nisi conatu adhibito ut dixi. Quia tamen adhibito illo majori conatu, minus facile fuisset operata potentia, quam operetur cum habitu, ideo adhuc necessarius erit facilitativus habitus. Dicit etiam posset adhibita à voluntate majori applicatione, actum illum intensius faciendū, non facilius, ita ut major applicatio excludat remissionem, non conferat facilitatem.

Cæterum si quis sine concursu effectivo, rejiceret illam facilitatem, in ipsam formam habitus, cujus natura sit, sine concursu effectivo, facilitare, parum quidem clarè loqueretur, difficulter tamen convinci posset.

Continuatur Solutio.

Mastrius censet habitum non tantum esse formam inclinantem, sed etiam causam effectivam actus, objicit tamen sibi aliqua, quæ hinc expedit solvere. *Hinc ex illo*

OBJICITUR I. Unius actionis una est potentia, quia una actio requirit, principium formale per se unum, à quo eliciatur, sed ex habitu & potentia fit unum per accidens. Ergo.

RESPONDETUR. Majorem debuisse alterius probari, indubie enim Deus ad nostras actiones concurrat effectivè, & tamen ex Deo & creatura, non fit unum per se. Saltem item si non habitui naturali, qui est tantum facilitativus, sed habitui infuso supernaturali, concedi deberet influxus in genere causæ efficientis, hoc enim ipso non se haberet per modum potentia, & tamen ex habitu illo infuso, utpote ex accidenti super-

naturali, & ex potentia naturali, nō fit unum per se. Deinde dici posset, unum per se duplex cogitari posse, unum per se, aliquorum, quæ sint in eodem gradu entis, hoc est utrumque, substantiale, & eo sensu, ex habitu & potentia non fit unum per se, cum potentia cui unitur habitus, sit substantia anime, aut si potentia, non identificatur animæ, tamen potentia erit quid substantiale, quod si ponas etiam potentiam, esse quid accidentale, hoc ipso minus urgebis, quia & potentia & habitus erunt accidentia, adeoque non facientia unum per se. Aliud autem unum per se cogitari potest, quod fit cum ex illis quæ non sunt quidem in eodem entis gradu, ordinantur tamen ad se, vel subordinantur sibi, habentque, se sicut perfectivum, & perfectibile, completivum & complebile, & tale unum per se, fit ex potentia & habitu; habet enim se potentia, sicut perfectibile, habitus sicut perfectivum.

OBJICIT 2. Accidens non est principium agendi in subjectum proprium, actus autem recipiuntur in eodem subjecto, in quo est habitus. Ergo habitus non est principium actuum, potentia, in ordine ad actum.

RESPONDETUR. Posita veritate majoris, sequitur posse adhuc efficienter produci actum ab habitu, cum habitus non recipiatur in actu. Deinde argumentum multum probat. Probat enim etiam intellectum, non posse effectivè producere suum actum, quia ille actus recipitur in intellectu, nihil autem agit in seipsum. Quæ autem illic objiciuntur de potentia sensitiva nō urgent, quia nos non concedim⁹ habitus, in potentia sensitiva.

OBJICIT 3. Nulla specie distincta, sunt sibi invicem causæ æquivocæ. Quia causa æquivoca, eminenter continet effectum, & consequenter est perfectior, sed actus & habitus differunt specie, & actus est causa habitus. Ergo.

RESPONDETUR. Plura tangit hoc argumentum, quæ alibi discussa manent, quod enim tangit, an aliqua possint sibi esse invicem causæ, de hoc alibi actum. In præsentī quamvis habitus producat actum efficienter, non sequetur, aliqua dico, esse sibi invicem causas: quia actus productus ab hoc habitu, non producat illum habitum, à quo fuit productus, sed producat intensiorem ejusdem, distinctam realiter.

Deinde in nostris principiis, ipse actus, non est principium effectivum habitus. Quo modo ergo duo, erunt sibi adinvicem causa. Rursus tangit hæc objectio difficultatem de causis æquivocis, enunciatq; causas æquivocas, debere continere eminenter effectum, quæ propositio restrictè prolata, patitur instantias. Certè enim sol, est causa æquivoca hominis, nunquidne continet eminenter perfectionem hominis, estq; quid perfectius homine. Ex putri generantur viventia, nunquidne putre perfectius est vivente.

OBJICIT 4. Duo effectus, quando sunt respectu causæ communis, ordinati inter se, primus secun-

secundum totam speciem, præcedit secundum, sed actus & habitus, respectu potentia sunt effectus ordinati, & actus aliquis præcedit habitum de necessitate, non è contra: Ergo habitus, omnino non præcedit actum, ut causa ejus per se.

RESPONDETUR. Majorem esse falsam ut sonat, certè enim ab igne A. generante procedit calor, & ignis genitus B. natusque est calor, præcedere ignem B. Nunquidnè etiam calor non poterit esse causa ignis B. licet non possit esse causa ipsius ignis. A cum ab eo procedat: ita actus procedens efficienter ab habitu, non poterit esse causa habitus à quo procedit, poterit tamen esse causa intentionis habitus, novæque superaddita facilitatis, quantumvis actus & habitus, nati sint procedere ab eadem potentia.

OBJICIUNT. Si habitus supplet causalitatem potentia. Ergo posset dari habitus aliquis, qui totaliter suppleret causalitatem potentia, quod implicat.

RESPONDETUR. Negando sequelam, cum enim habitus suppleat causalitatem potentia facilitativè, hoc ipso supponit principium quod faciliat, adeoque nunquam illud ex eludendo, & se solo habitus, nihil potest efficere.

QUÆSTIO III.

De Causis habituum, intentione, Corruptione.

DIFFICULTAS I.

De Causis Habituum.

CAUSARI habitus à sola potentia disposita per actus, docet Durandus, à potentia & actibus Arriaga, à solis actibus Suarez uterque, Vasquez, Pontius.

ASSERO primò. *Probabilius esse quòd habitus producantur à sola potentia posito actu vel actibus.*

RATIO prima est. Quia sicut non sunt multiplicanda entia sine necessitate, ita nec virtutes agendi effectivè, tribuendæ sunt illis entitatibus, quas aliunde concurrere in genere causæ efficientis non constat. Sed nulla est necessitas tribuendi vim activam actibus, nec eos aliunde constare vim concurrendi effectivè habere, Ergo.

RATIO secunda à pari est. Actiones intellectus & voluntatis, non producant effectivè alias intellectiones & volitiones. Ergo nec producant habitus. Et sicut referri potest productio activa actuum in solam potentiam, sic referri potest & productio habituum; & sicut actum imperatum quæ talem, actum item electionis, quæ talem, producit ipsa potentia, quamvis posito non nisi imperio & electione, ita producet & habitum, posito actu vel actibus.

RATIO tertia est. Quo perfectius principium est, hoc ipso parat ipsum sibi, alia compincipia, vel instrumenta agendi, & ita species sensuum, producantur ab objectis, species autem intelligibiles producit intellectus agens. Cujus ratio ulterior est. Quia perfectio est, à quàm paucis-

simis principiis in agendo dependere, ut ita interveniat similitudo ad perfectissimum agens, quod est Deus à nullo dependens. Cum ergo intellectus & voluntas sint intentionalia agentia, creata, perfectissima, producant sibi compincipia agendi, quæ sunt habitus.

DICES primò. Cum recentiore Suarez. Omnis actio potentia appetentis, est appetitio, & omnis actus potentia cognoscentis, est cognitio. Ergo habitus produceretur à solis actibus neque enim habitus, v. g. intellectus, est intellectio.

RESPONDETUR. Hoc argumentum multum probare, quia probaret quòd intellectus non producat sibi species impressas, cum species impressæ non sint cognitio. Distingui etiam antecedens potest. Omnis actus potentia cognoscentis, qui est immediatè circa objectum, est cognitio. Concedo antecedens. Omnis actus potentia cognoscentis qui est mediatè ad objectum, vel tanquam instrumentum, vel tanquam compincipium. Nego antecedens, vel certè: Omnis actio potentia cognoscentis, quæ est transiens, est cognitio, non verò ea quæ est ad terminum permanentem. Imò idem medius terminus facit pro nobis. Omnis cognitio non aliud est quàm representatio objecti, & omnis volitio est tendentia in volibile. Ergo ab illis non produceretur habitus.

DICES secundò cum Oviedo. Experimur ad repetitionem actuum, fieri habitus. Ergo actibus tribuenda est virtus activa illorum, sicut virtus activa lucis, soli tribuitur.

RESPONDETUR. Experimur approximato igne fieri ustionem & tamen ustio non tribuitur approximationi, tanquàm causæ efficienti. Quando ergo ad positionem alicujus videmus aliud produci, pensandum est: An in aliud principium, causa ejusdem effectiva reduci non possit. Et si sint duo principia, in quæ reduci posset effectus, pensandum iteratò veniet an sufficienter referri possit in unum principium, quia non sunt sine necessitate multiplicandæ virtutis agendi; Quia autem sufficienter id referri potest, in solam potentiam præinformatam actibus, sit ut illi tribui soli debeat, effectio habituum. Quando autem ex eo, quia posito sole emanat lux, referimus lucem in solem, tanquam in principium, ejus ratio reddi potest, quia in nullum aliud principium referri potest, & alia, causalitatem hanc solis, suadent.

DICES tertio. Quod definitivè habitus sit qualitas, ex actu vel actibus producta. Ergo concurrere debent effectivè.

RESPONDETUR. Dicuntur aliqua genita ex putri, & tamen putredo effectivè ad illa non concurrat. Aliud itaque est dicere, aliqua esse producta ab actibus, aliud, producta ex actibus.

DICES quartò. Cum Mastrio tenente disp. 3. num. 73. quod actus sint causa totalis habitus.

† (X) 3

Si

Si voluntas esset causa sive totalis sive partialis, habitus liberè illum produceret, & tamen liberè illum non producit, quia quamvis voluntas eliciens actus v.g. iustitiæ, nollit quod existis sequatur habitus iustitiæ, adhuc tamen iste habitus produceretur.

RESPONDETUR. Negando sequelam, non enim voluntas in omnibus suis operationibus est libera, exercet enim actum necessarium amoris boni in communi, & summi boni, quæ talis repræsentati. Deinde sufficit ut sit voluntas libera, in exercendis actionibus suis, ut ita dicam principiis, hoc est volitionibus, licet non sit libera, in actionibus ut ita dicam, secundariis, seu ordinatis in bonum priorum ut ordinantur habitus, in bonum volitionum, facilius exercendarum. Deinde etiam hoc concessio, quod in omnibus actionibus suis, voluntas sit libera, hæc voluntatis libertas in producendis habitibus per hoc salvari potest: quia scilicet ponit liberè ipsosmet actus, qui sunt prærequisiti ad operandum licet positus illis prærequisitis, non potest non sequi alia ejus operatio, quæ est productio habitus. Et certe, non est magis necessaria voluntati productio habitus, suppositis actibus, quam sit necessaria ipsa volitio, supposito quod ponatur, vel ipsa sessio, supposito quod sedeat, & si in his salvatur ratio liberi, ex eo, quod tota determinatio sit ex suppositione consequenti, quam ponere & non ponere, erat in potestate; ita & in præsentia salvabitur, nam etiam positio illorum actuum, erat libera.

DICES quintò. Habitus corrumpuntur ab actibus contrariis. Ergo & producuntur.

RESPONDETUR. Habitus corrumpuntur ab actibus contrariis tanquam prærequisitis, quibus positus, generatur habitus depulsivus illius prioris, & tanquam prærequisitis, quæ deponunt, ut Deus non conservet in toto vel in parte contrarios habitus, casu quo in Deum illa conservatio, referenda esset.

ASSERO secundò, *Possè sustineri sententiam durandi, quod actus dispositivè concurrant, ad productionem habitus.*

RATIO. Quia nihil obstat, ad maximum talem saltem causandi rationem, tribuere actibus.

Deinde intentio ad electionem, præmissæ ad conclusionem, per multos dispositivè concurrunt. Ergo eodem modo per illos possunt dici, concurrere etiam actus.

DICES cum Pontio. Actus non est dispositio requisita ex parte potentie ad conservationem habitus. Ergo neque ad productionem.

RESPONDETUR. Retorquendo argumentum. Putredo non confert ad conservationem generis ex putri, & tamen confert ad illius productionem. Ipse etiam Pontius censet, actus, esse productivos habitus, non tamen concurrunt ad conservationem habitus, durante illa qualitate permanente, quamvis interim nulli sint actus.

Potior etiam est ratio, cur requirantur actus ad productionem & non conservationem, quia videmus illis non positus non poni habitum, & tamen videmus conservari habitum illis non positus. Imò inde stabilitur nostra sententia, quia si nihil obest, idem debet assignari principium conservativum & productivum, si ergo actus non sunt conservativi habitus, neque erunt productivi, quod esse contra Pontium.

ASSERO tertio. *Possè tribui actibus, vim nonnisi prærequisiti, conditionis, &c. similia, ad productionem habitus.* Quod ita explicari posset:

Unumquodque principium in ordine ad ponendos suos effectus, exigit prærequisita & conditiones, & quia sunt aliqui effectus, qui nonnisi suppositis, alterationibus successivis poni possunt, sicut contingit in positione firmanum substantialium, talia prærequisita dispositionis, antonomasticon appellantur. Dividuntur hæc dispositiones in ultimas & non ultimas. In isto genere requisitorum non censentur actus, quia effectus qui producitur à potentia, hoc est habitus, non ejus est naturæ, qui nonnisi per alterationes poni deponat. Alia autem sunt prærequisita, quæ sibi & ultima & prima sunt; tale prærequisitum est, v.g. positio objecti, ejusque specierum in sensorio receptio, ad hoc, ut intellectus agens, formet sibi speciem impressam &c. similia. Hæcque non tam dispositiones, quam prærequisita ad agendum vocantur, & in istorum prærequisitorum genere, numerandi veniunt actus in quantum præquiruntur, ad ponendum habitum.

Porrò hoc prærequisitum est talis naturæ, ut si ponatur, reddatur potentia proximè capax agendi, si non ponatur non reddatur capax; quod autem positus actibus reddatur potentia, proximè capax producendi habitum, & non positus illis, non reddatur proximè capax, probari potest per ipsam experientiam quæ docet, positus actibus, non sentiri difficultatem, cum antea sentiretur.

Addo posito vel unico actu disponi jam potentiam ad producendum sibi habitum, quia non est major ratio, cur si tribuatur vis dispositiva ad habitus actibus, potius uni actui tribuatur, quam alteri. Et certe si ad positionem unius actus, non disponderetur potentia ad producendum habitum, nunquam proximè ab actibus, ad hoc disponi posset; non enim ratio, cur unus sit actus dispositivus, & non alius, & cum actus utpote transeuntes desinant si non sunt, nihil conferunt, quomodo conferent, quando jam non sunt. Et licet quidem ad denominationes conferre possint ea, quæ non sunt, non tamen ad agendum Physicè, & sicut positus prærequisitis ad illuminandum soli, semper oritur aliquid ex luce, ut non exemplo perfecta lux, ita posito unico actu, ponitur aliquid saltem imperfectè facilitativum.

DIF.

DIFFICULTAS II.

De Intensione & Conservatione Habituum.

ASSERO primò. *Posse intendi habitus volitive.*
 RATIO. Quia possunt intendi ipsi actus, cur non & habitus. Experimur etiam interdum non facilius aliquid prosequi, quàm antea fuerimus prosecuti. Ergo si facilitas illa refertur in habitum, major facilitas, debet referri in intensionem habituum.

ASSERO secundò. *Etiā habitus intellectiva intendi posse.*

RATIO. Tum quia experimur intensus nos certificari, majorique facilitate, idque certitudine subjectiva quàm antea certificati fuerimus. Ergo cum hæc certitudo non possit in aliud referri, quàm in intensiorem habitum, dabitur ille. Tum quia non est major ratio de habitibus voluntatis, quàm de habitibus intellectus. Tum quia ex communi Theologorum, intenditur habitus fidei supernaturalis. Ergo non repugnat ex ratione generica habitus, intendi; non apparet autem, cur ex conditione hac, quòd naturales sint habitus, petant non intendi.

DICES cum Salaz. Quòd actus intellectus non sint capaces intensionis.

RESPONDET Recentior Suarez, antecedens esse falsum, hinc & visio beata, potest esse capax intensionis.

ASSERO tertio. *Etiā ab actu remissiori intendi posse habitum.*

RATIO. Tum quia ex dictis supra, non est major ratio de uno actu quàm de alio. Tum quia experimur per frequentatos actus, etiam remissos, nos facilitari. Tum quia nisi detrahas multum de meritis, non poteris dicere, quòd actibus etiam remissioribus, non augeatur gratia & habitus. Ergo & habitus naturales intendi poterunt per actus remissiores. Quando autem experimur, acquisita facilitate intra habitum temperantia, non ad omnes actus nos facilitari, id referri debet vel in hoc principium: quia intra eandem temperantiam reperiuntur plures species, vel quia est specialis difficultas in materia, vel quia non præcesserunt actus, ex formali motivo, & communi temperantia.

ASSERO quartò. *Habitus conservari à potentia.*

RATIO. Tum quia si nihil oblit conservatio rejici debet in principia naturalia, non verò immediate in Deum, nihil autem obest rejici conservationem habitus, in potentiam. Tum quia si potest potentia ipsa producere habitus, cur non poterit & conservare. Tum quia deberet Deus specialiter conservare etiam habitus vitiosos, quorum conservatio, non esset à quo exigeretur, & quidem exigentia Physica. Et certè conservatio habituum vitiosorum, non ab acti-

bus exigeretur, quia hi non sunt, non etiam ab ipsis habitibus, quia hoc ipsum probandum esset exigere illos conservationem à Deo, & non à causis secundis.

ASSERO quintò. *Ad conservandum habitum à potentia requiri, ut subinde exerceantur actus.*

RATIO. Quia ita melius ostenditur quomodo sit idem principium productivum & conservativum, & cum non possit primò produci habitus à potentia, nisi ponantur actus, congruum est, ut nec conservetur, nisi subinde illis positus. Deinde experimur, quòd non usu diuturno habituum, depereant habitus: & ex alia parte, conservari illos, etiam si non perpetuo eliciantur actus. Ergo apparet, ad habitus conservationem, requiri actus, licet non semper ponantur. Et licet habitus supernaturales non corrumpantur, non u, succurrunt tamen naturales: infusi enim sunt per modum potentiarum, potentia autem, non usu non corrumpuntur, naturales autem, non sunt per modum potentiarum.

DICES. Conservatio specierum non pendet ab actibus, ergo nec habitus.

RESPONDETUR. Disparitatem esse, quia cum ipsa species antecedant actus, nec pendeant in suo esse ab actibus, mirum non est, quòd serventur independenter ab actibus, hæc tamen disparitas videtur adhuc esse manca, quia saltem species actus præhabiti, non antecedunt actum, & tamen & hæc species, non pendet in conservari ab actu. Potius ergo disparitas ex eo petenda, quia posito non usu speciei, si occurrat occasio noscendi objecti, experimur expeditam esse speciem, si autem non adsit usus habitus, saltem per actus raros experimur abesse facilitatem.

DIFFICULTAS III.

De Corruptione Habituum.

ASSERO. *Non corrumpi formaliter habitus positione actuum contrariorum.*

RATIO, quia per illud formaliter corrumpantur habitus, quod est formaliter illis contrarium. Sed habitui, non est contrarius formaliter actus, quia facilitati non opponitur formaliter nisi difficultas, sed actus oppositus, non est difficultas. Ergo actus oppositus, non opponitur formaliter.

ASSERO secundò. *Duos habitus oppositos quorum unus sit in gradu remisso, alter in summo posse secum stare naturaliter.*

RATIO prima. Quia alias qui habet unum habitum, ordinariè non posset alium oppositum habere, quod ipsum probatur, ordinariè non acquirimus habitus, nisi per partes, si acquirimus non nisi per partes, hoc ipso prius acquirimus remissos, quàm intensos. Remissos autè acquirere

† (X) 4 non

non possumus, quia non possent stare in gradu remisso, cum gradu opposito intenso. Quod ipsum sic ulterius proponitur. Quorum inchoatio poni non potest, illa nunquam possunt poni, sed posito habitu intenso, alius contrarii habitus, non potest poni inchoatio, quia inchoatio habitus contrarii, est ipse habitus in gradu remisso, quem tu dicis, stare non posse, cum habitu intenso.

RATIO secunda. Posito uno habitu intenso, non potest alius naturaliter poni æque intensus, qui sit contrarius illi, neque etiam minus intensus, seu remissus, ergo absolute nunquam poterit poni alius habitus contrarius.

RATIO tertia. Si qualitates contrariæ & pugnantes, possunt secum stare in gradu remisso, ergo & illi habitus.

RESPONDEBIS. Ponendum esse habitum alium contrarium, cum prior defierit.

CONTRA. Quia ille contrarius expelli deberet per aliquam formam, hæc autem forma non est nisi habitus oppositus, qui habitus ut probatum, non apparet qui introduci posset, cum habitus remissus, non possit stare, cum intenso opposito. *Addo* pluralitas præteritorum actuum ad nihil conducet, si cum existit actus, non est productus gradus habitus aliquis, non est autem productus gradus aliquis habitus oppositi, si intensus habitus, cum remisso stare non potest.

Denique experimur remissam in aliquo facilitatem & postea subsequi maiorem, & quidem stante intensa inclinatione in oppositum, quod ostendit, stare habitum in gradu remisso cum opposito intenso habitu.

ASSERO tertio. *Casu quo aliquis acquirat habitum virtuosum intensum, posse diviniter oppositum illi habitum virtuosum conservari.* Ratio quia ut dicitur & defenditur in materia de penitentia, potest adveniente peccato, diviniter conservari gratia, ergo poterit conservari & habitus virtuosus. Resolvitur etiam ratio hujus asserti in principium negativum, quia id scilicet non implicat contradictionem. Ea quæ in oppositum objici possunt, solvuntur eo loco in dicta materia, & videri in simili possunt quæ dicta sunt de possibilitate coexistentiæ amoris & odii.

INFERES. Quod tota impossibilitas quæ est inter duos habitus oppositos, inde oriatur; quia scilicet petit unus in præsentia sua, non conservari alium. *Addit* Oviedo, quod contra communem sententiam, non difficulter defendere quis posset, non opponi oppositos formaliter habitus, etiam naturaliter; ad eum modum, quo secum stant cognitiones intensissimæ & oppositissimæ, ad oppositissimos actus voluntatis prælucentes, & qua ratione, composibiles sunt species duorum oppositorum actuum intellectus, quodque corrumpantur illi habitus, non nisi ex defectu exigentiæ diuturnæ dura-

tionis, si actibus, duratio illorum non promoveatur. *Reliqua de habitibus sparsim in Theologia.*

QUÆSTIO IV.

De speciebus in communi.

TRACTATIO de speciebus, non solum in Philosophia, sed etiam in Theologia locum habet, unde in Theologia agitur de specie impressa Dei, de speciebus angelicis, &c. Hic præcipue agitur de speciebus impressis, nam de specie expressa, jam alias actum est.

DIFFICULTAS I.

An dentur & quid sint species.

ASSERO primò, *dari species.*

Adfero hinc discursum quem videre potes, etiam in prima parte, ubi de Lumine gloriæ fundatum in doctrina Aristotelis. Sensatio itemque intellectio, est quædam consonantia seu similitudo & proportio, sensus & sensibilis, intellectus & intelligibilis, qua sublata non fit sensatio. Siquidem ratio ipsius sensationis est hæc ipsa consonantia, hinc Philosophus secundò de anima textu 123. hanc dicit esse causam, propter quam excessus seu exsuperantia corrumpunt sensoria, & sensationes, quia si fortiter sensorio incidat motus, solvitur proportio, quæ erat ratio sensus. Sicut & tollitur consonantia & tonus, percussis fortiter vel nimium extensis chordis. *Manifestum est*, inquit, *Aristoteles loco citato propter quod sensibilibus exsuperantia, corrumpant sensoria; si namque fortior sit sensorio motus, solvitur ratio, hoc autem erat sensus, sicut & consonantia & tonus percussis fortiter fidibus.* In quibus verbis totam rationem sensationis in prædictam attemperationem sensibilis cum sensorio refert. Præterea non aliam ob causam sensibile positum supra sensorium non facit sensum, nisi quia tali suppositione, tollitur consonantia dictæ similitudinis, inter sensibile & sensum; quando enim visibile Es ponitur supra oculum, non fit visio, idcirco; quia ut fiat, necesse est inter oculum & colorem fieri consonantiam, seu assimilationem visus ad visibile ut sibi assimilentur secundum quod sunt in actu, hoc quidem visus, hoc verò visibile in actu, cum enim color non sit in se similis actu potentiæ visivæ, siquidem hæc est diaphana seu perspicua, ille non, fit postea talis actu, mediante aëre, vel aqua, vel aliquo simili diaphano, quod illuminatur ad præsentiam coloris, & hoc lumen, facit istam consonantiam. Quod autem dicit de lumine, dicit etiam de speciebus, quæ etiam faciunt

faciunt consonantiam potentiae & objecti. Ex hoc ulterius discursu inferebat idem in Theologia, quod Deus sine lumine gloriae videri non possit, & quod visio Dei fieri non possit, sine consonantia videntis & visi, quae fieri non potest, nisi medio lumine gloriae.

RESPONDERI potest, hunc discursum in pluribus non satisfacere. Quia imprimis videtur confundere consonantiam & proportionem in actu primo quae concedo, quod fiat per lumen vel species, & inter proportionem & consonantiam in actu secundo quae fit productione notitiae, cum tamen haec duae consonantiae, distinguere debeant. Certè enim receptio principii facientis consonantiam potentiam, non est in intellectu v.g. formalis similitudo objecti, aliàs deberet in sola passione consistere intellectio, sicut & consonantia in actu primo, stat in sola passione specierum. Deinde si distincta est consonantia in actu primo, & consonantia in actu secundo, licet verum sit, quod sine consonantia in actu secundo non possit fieri nec intellectio nec visio, cum ipsa visio & intellectio, ut supponitur, sit illa consonantia in actu secundo, intellectio autem v.g. non potest esse sine intellectu; fallum tamen erit, quod sine consonantia in actu primo, non possit fieri sensatio & intellectio, non est enim ratio, cur illam proportionem, quae provenire debet à lumine vel speciebus, se solo Deus supplere non possit. Denique quamvis sint aliqui sensus qui connaturaliter sine proportionem in actu primo, non exeant in actum secundum, id tamen non est universale, quia si tangatur ferrum ignitum, sequitur quidem laesio sensus, sed non sequitur, objectum non fuisse perceptum; fuisse autem illic improprietatem inter sensum & sensibile, vel ipsa sensus laesio ostendit. *Hinc alia*

RATIO asserti est. Quia saepe objectum est absens, & saepe improprietatum, hinc debebat dari aliud vices objecti supplens, & magis eidem proportionatum, hoc autem nihil aliud est, nisi species. Deinde ex infra dicendis, colligitur nisi ponantur species visibiles, multae experientiae salvari non poterunt, de quibus infra. Denique arguendo à definitione ad definitum, dantur qualitates loco objecti completivae potentiarum, in ordine ad agendum. Ergo dantur & species, antecedentis probatio, ex dicendis in particulari de speciebus, colligitur.

ASSERO secundò: *Species impressas esse qualitates loco objecti completivas potentiarum in ordine ad percipiendum objectum.* Potius usurpo terminum ly completivae, quam ly determinativae, quia determinatio ad actum non potest salvari, sine actuali exercitio potentiae, & ita, dum dicit Schola Thomistica, praedeterminari nos ad agendum, hoc ipso subintelligit, actum secundum potentiae praedeterminatae, debere poni,

Item dum modi dicuntur esse determinativi, exigunt etiam actuale exercitium illorum, quae determinant. Jam autem tot dantur species, quae receptae in potentiis, non hoc ipso faciunt esse potentiam in actu secundo perceptivam objecti, alias tot semper simul haberemus cogitationes, quot species, nihilque unquam recordaremur nos cogitasse, quia semper idem cogitaremur, id autem, quod in praesenti aliquis nescit, nemo recordatur, sed id quod praeteriit. Quod si possitis speciebus, non determinamur, hoc ipso ad actum secundum, potius dici debent species, completivae potentiarum, quam determinativae, quia ly completivae ex usu & acceptione, non significat hoc ipso esse potentiam in actu, quae completa dicitur, sed tantum pro sua parte, esse paratam, si caetera adsint paria. Et licet quidem dentur aliquae potentiae, quae hoc ipso, quod recipiant species, prodeant in actum secundum, qualis est visiva, auditiva &c. Quia tamen hoc universaliter non competit speciebus, & saltem divinitus impediibile est, fit ut non possint species definiri rigore loquendo, per hoc, quod determinent potentiam.

Addidi autem istas species, esse qualitates, completivas loco objecti; quia gratia v.g. est qualitas, completiva voluntatis in ordine ad agendum supernaturaliter, & tamen non est species, quia non supplet locum objecti, sed est instrumentum Dei, in ordine excedenti. Caeterum in processu discursuum, non raro à nobis usurpatur hic etiam terminus, quod species determinent, volumus enim loqui cum multis, praecipue, quia videtur potentia sine speciebus, esse quasi indifferens ad operandum, quia ergo hanc indifferenciam tollunt species, ideo etiam per nos, interdum dicuntur determinare species potentiam.

DIFFICULTAS II.

De aliis naturam concernentibus speciebus, & earum divisione.

ASSERO primò: *Speciem impressam non esse similitudinem formalem objecti.*

RATIO prima est ex recentiori Suarez. Quia scilicet ut sint species impressae similitudo formalis, id & superfluum est, & sufficit virtualis representatio. Quod ipsum probatur, quia vel ideo species impressae essent imago formalis, quia ponuntur loco objecti, & hoc non, quia non semen plantae, ponitur loco plantae, & tamen non est imago formalis plantae, vel ideo esset species impressa imago formalis, quia v.g. in intellectu ordinatur ad cognitionem, quae est imago formalis, & hoc etiam titulo non debet esse imago formalis; quia potentia, habitus, lumen

lumen supernaturale, &c. ordinatur ad cognitionem, & tamen non sunt imago formalis, vel ideo esset imago formalis species impressa, quia producit ab objecto, & hoc non, quia semen producit à planta, & tamen non est formalis similitudo plantæ.

RATIO secunda: Quia si species sunt imago formalis objecti. Ergo antequam intelligatur objectum, intelligitur; Quod ipsum probatur, antequam intelligatur objectum, datur illius species impressa. Ergo cum prior species sit impressa, quam intelligantur objecta, dabitur imago formalis objecti, nam per te species impressa, est ista imago: Ergo ulterius antequam detur intellectio, intelligitur objectum, quia intelligere non aliud est, quam habere imaginem formalem objecti, sed antequam intelligat, habet per se formalem similitudinem objecti, nempe speciem. Ergo per te, antequam intelligat, intelligit. Imò sequitur hominem cogitare de eo, de quo non cogitat, cum non cogitando, habeat similitudines formales istorum objectorum, nempe species impressas.

RATIO tertia est; quia cum in ordine ad species impressas jam paratas passivè nonnisi se habeant intellectus, sequitur, quòd respectu objectorum tunc noscendorum, ex suppositione specierum, merè se nonnisi passivè habeat intellectus, non esseque intellectiones vitales, consequenter sequetur contra Tridentinum, nos etiam in intellectione supernaturali, quæ est credere merè, nos passivè habere, cum tamè credere, sit negotium salutis, negat autem Tridentinum, quod in negotio salutis, merè passivè non habeamus.

ASSERO secundò: Species sive materiales sive spirituales non esse ejusdem conditionis cum objectis, est assertum S. Thomæ quæst. 8. de Verit. artic. 11. ad 3. *constat enim inquit, quod species lapidis, in anima est longè alius natura, à lapide in materia.*

RATIO asserti est: Quia non pauca objecta, sunt substantia, omnes autem species sunt accidentia, species etiam accidentium, licet conveniant in genere accidentis, diversæ tamen erunt naturæ; nam species parietis, non sunt accidentia talia, qualia accidentia sunt ipsius parietis v. g. Nam accidentia parietis non sunt transmissibilia per intermedium aërem, nec receptibilia in ipso met sensorio, cum tamen, hæc prædicata & alia, competant ipsis speciebus, denique species sunt inventæ, etiam ad proportionanda objecta sensibus, quæ naturæ intentio ad ponendam proportionem, nulla esset, si objecta & species, essent ejusdem conditionis.

ASSERO tertio: *Dividi speciem* in impressam & expressam. Species impressa immediatè ante est definita. Species autem expressa, ante est formalis similitudo objecti, de qua actum,

ubi de verbo mentis. Vocatur autem species impressa, ideo, quia sicut id quod imprimatur, recipitur in eo cui imprimitur, sic & species impressa in sua potentia. Altera autem vocatur expressa, quia sicut id quod exprimitur, est imago ejus, quòd exprimitur, & ita sigillum in cerâ expressum, est imago sigilli, quod imprimit, sic illa species expressa, est imago objecti, quod cognoscitur. Rursus hæc species impressa, alia est materialis, alia spiritualis. Rursus materiales species dividuntur in eas, quæ nonnisi ad materialia deserviunt, & in eas quæ ad spiritualia, priores illæ dividuntur in sensuum species, posterioris autem non aliud agnoscitur membrum, quam ipsum phantasma materiale. *Sed contra assertum primum*

DICES primo: Pater æternus in priori originis, ad producendum verbum, supponitur habere prius formalem similitudinem, quæ est quasi species impressa in mente Patris. Ergo & antequam Verbum creatum supponatur productum ab intellectu, debet præsupponi similitudo formalis.

RESPONDETUR; Disparitatem esse. Quia Filio, non redditur intelligens Pater, non enim illum producit ut intelligat, sed quia intelligit; si ergo illum ideo producit quia intelligit, supponi debet ad producendum Filium intelligens, adeoque repræsentans sibi suam essentiam &c. &c. Jam autem non ideo producit Verbum creatus intellectus, quia intelligit, sed ut intelligat ut Quo. Ergo ante productionem illius, non debet intelligi, repræsentans sibi intentionaliter objectum, adeoque nec habens formalem imaginem objecti.

DICES secundo: Species expressa, est formalis imago objecti. Ergo & species impressa.

RESPONDETUR. Disparitatem esse, quia nisi ponatur, quòd species expressa sit similitudo formalis, non erit modus salvandi, quomodo intelligat homo, cum intellectio objecti sit formalis in intentione similitudo objecti, benè autem tota intellectio salvari poterit, etiam si negetur, speciem impressam, esse similitudinem formalem.

DICES tertio: Species appellantur imagines objecti.

RESPONDETUR. Speciem expressam esse imaginem formalem objecti, sed sufficit ut species impressa, sit similitudo causaliter & remotè, sicut glans, est causaliter arbor, & semen, est causaliter id, quod generat.

DIFFICULTAS III.

Quomodo concurrant species impressæ.

QUOD species concurrant effectivè, affirmat Suarez uterque, Arriaga, Oviedo, sed id negat Solerius & Martinon cum aliis. Denfanda sunt argumenta utriusque partis.

Pro affirmativa.

PRIMA RATIO EST, qua utitur Suarez. Quia cognitio producitur per assimilationem cum objecto, debet ergò procedere à principio assimilativo, hoc autem non est nisi species.

RESPONDETUR. Negando quod assimilationem illam objecto, effectivè, non possit producere ipsemet intellectus, licet indigeat præinformari & compleri specie. Et certè si intellectus secundum vim suam spectatus, dum concurret ad intellectionem, concurret etiam tanquam assimilativus, apparet ergo, etiam illi inesse vim assimilandi, licet in actum hunc exire non possit, sine specie, cui non est quod tribuatur vis effectiva.

SECUNDA RATIO EST, qua etiam utitur Oviedo: Species communicat cognitioni representationem, & eam non communicat in genere causæ materialis, non enim cognitionem recipit, nec in genere causæ formalis, quia cum species impressa non sit imago formalis objecti, non potest formaliter illuminare subiectum ad suas operationes, & aliunde specificare cognitiones, spectat ad objectum. Ergò nonnisi in genere causæ efficientis concurret.

RESPONDERI POTEST. Concurrere species in genere causæ formalis, eò quod recepta species in intellectu, faciat illum esse potentiam completam, ad assimilandum cognitionem objecto, cuius objecti est illa species.

INSTAT Oviedo. Potentia informata iisdem speciebus, modo producit hanc intellectionem, modo illam. Ergò hæc determinatio, est per modum principii concurrentis cum potentia.

RESPONDETUR. Ut hæc potius quam illa ponatur intellectio, determinatio pendet ab occurrentia objecti, cogitationibus injectis à bona, ut dicit Aristoteles, fortuna, & sicut posita pluralitate specierum, ut hæc potius quam illa species concurrat, etiam in principii oppositorum, refertur id in occurrentiam objectorum, ita & in præsentem. Sed id non probat concursum effectivum specierum.

TERTIA RATIO EST ex recentiori Sua-

rez. Divina essentia prout exercet munus speciei, concurret effectivè ad visionem beatam. Ergò & aliæ.

RESPONDETUR. Hanc propositionem veram esse, nonnisi ex suppositione, quòd species creatæ concurrant cum potentiis effectivè, licet Divina essentia per suam omnipotentiam concurret effectivè. Deinde specialis est ratio de essentia Divina, hæc enim non ita recipitur in intellectu creato, sicut species creatæ, hinc potiori jure, competit illi, ut concurret in genere causæ efficientis, alio modo concurrente specie creatæ.

QUARTA RATIO ex Arriaga est. Objectum quando est præsens, non concurret formaliter ad cognitionem, Ergò nec species, sed utrumque debet concurrere in genere causæ efficientis.

RESPONDERI potest, dubium esse, annon & objectum, concurret ad cognitionem, per modum causæ formalis extrinsecæ, pureque terminativæ. Deinde specialis ratio potest esse pro speciebus, quia illæ jam unitæ, possunt commodius dici, quòd compleant potentiam ad agendum.

QUINTA RATIO ejusdem. Specie existente in potentia, datur ejus concursus in genere causæ formalis, & tamen tunc non datur concursus speciei ad actum, quia tunc non sit actus: Ergò quando existit actus, alium concursum habet species, præter concursum, in genere causæ formalis.

RESPONDERENT, oppositi nullum tunc intervenire alium entitativè concursum ad actum, sed tota illius causalitas, quam habet respectu actus, est complere potentiam, ut possit illum actum elicere, hinc cum sit causa causæ, hoc est intellectus, in genere compleri, erit & causa causati, sed erit tunc concursus formaliter distinctus, ratione scilicet connotati, superadditi, ita ut species in circumstantia positionis actus dicatur concurrere in genere causæ formalis proximæ, remotè autem in circumstantia negationis actus.

EXPLICARI hic etiam concursus potest per concursum moralem: tribuit aliquis gladium furioso ad occidendum inimicum, concursus illius totus, quem facit ad occasionem, est solum traditio gladii jam transacta, nec tamen cum sit occisio, causat traditio gladii specialiter illam occisionem, sed solum, quia complevit potentiam furiosi, ad occisionem ponendum. Et licet verum sit, quòd gladius concurret ad occisionem effectivè, sed non gladius est, qui causat occisionem, nomine tradentis gladium, sed causat ipsa traditio, quæ non concurret effectivè ad occisionem illam, ita fiet & in præsentem. Quòd si dicas traditionem illam concurrere effectivè in aliquo sui, nempe

nempe in gladio, idem dici poterit, quod species concurrat effectivè in aliquo sui, nempe in potentia, quam complet.

SEXTA RATIO est ex Mastrio, disp. 4. num. 103. Certum est potentiam non esse principium completum ad eliciendum actum, aliàs posset potentia quodecunq; objectum percipere, quod est falsum. Requiritur ergò concursus objecti, qui debet poni effectivus, quia si concurreret solum disponendo vel determinando, tunc objectum vel species, haberent se ut conditio sine qua non, quod dici non potest, quia tunc à posteriori deprehenditur aliquid esse causa alijus effectus, quando in ipso effectui, peculiaris ratio aut formalitas invenitur, tali causæ attribuenda: quia talis formalitas non ponitur in ipso, nisi per talis causæ influxum, similitudo enim semper arguit causalitatem.

RESPONDETUR. Tunc à posteriori deprehenditur aliquid esse causam alijus effectus, quando in ipso effectui reperitur similitudo: Restringe: quæ non possit referri, in aliquod aliud principium, indubiè concurrens ad illum effectum, si enim ad illud indubitatum principium referri posset, ad illud erit referenda illa similitudo, ut ita, sicut entia, ita nec principia multiplicentur sine necessitate: quia autem illa similitudo ad objectum potest referri, tanquam in principium, in ipsum intellectum, hinc in illum referenda erit. Quod autem in illud principium quod est intellectus, referri possit similitudo illa, ratio est, quia cum ipse intellectus sit definitivè perceptivus objecti, quod alia phrasi exprimitur assimilativus sui actus objecto: habet enim vim producendi notitiam, quæ notitia, est imago objecti, idè illa similitudo poterit referri in intellectum: & sicut ipsa facies hominis, se ipsa non influit physice in similem pictam imaginem, licet ipsa picta imago, dicat similitudinem, ita & in præsentem.

SEPTIMA RATIO EST. Si non concurrunt species effectivè ad notitiam, omnes causæ partiales, poterunt dici conditiones sine qua non.

RESPONDETUR. Causæ evidenter partiales, non poterunt dici conditiones sine qua non, causæ tantum partiales putativæ, poterunt dici conditiones sine qua non, illa autem erit causa partialis putativa, quæ non est necessaria, cum effectus in aliud principium, totaliter, referri possit.

Pro negativa parte.

PRIMUM ARGUMENTUM EST. Species dantur ad hoc, ut determinent intellectum, hoc autem fit nonnisi in genere causæ formalis.

RESPONDETUR. Determinat pes curvus rectum ad claudicationem, & tamen concurrat ad illam effectivè. Deinde negatum est supra, quod officium specierum sit, determinare, vel saltem non est hoc solum.

SECUNDUM ARGUMENTUM EST. Concurfus ad cognitionem, est immanens, est vitalis. Ergò species ad illam concurrere non potest.

RESPONDETUR. Negando consequentiam, si enim habitus, Deusq; ipse, concurrere possunt ad actus vitales, cur non & species?

TERTIUM ARGUMENTUM EST. Cognitio ad amorem, non concurrat effectivè, ergò nec species ad actum.

RESPONDETUR. Disparitatem esse, Quia si actus produceret effectivè alium actum, hoc ipso jam esset quædam potentia, & non principii, sed principium, nihil autem verat, ut sit principium, non autem principii, ipsa species, comparata v. g. ad intellectionem.

Rationibus pro utraque parte pensatis hoc dici potest, quod spectata communiore auctoritate doctorum, possit concedi concursus effectivus. Unde attendendo ad auctoritatem, ex eo etiam posset dici, quod objectum per speciem concurrat, productivè ad notitiam, quia illa notitia, est imago objecti, & tamen ad rationem imaginis requiritur, ut producatur ab eo, cujus est imago, unde in Divinis VERBUM Divinum, repræsentat creaturas, & tamen non est imago creaturarum, quia non producitur ab illis. Spectata autem ratione, evidenter illum non probari, possetque adhuc adhiberi fundamentum negativum. Quia scilicet nullum est fundamentum, neque illa necessitas tribuendi alium concursum, præter hunc, de quo aliàs constat, qui stat in complemento potentia. Et licet quidem dentur completiva aliqua potentialium, quæ simul effectivè concurrant, quales sunt habitus supernaturales infusi, non tamen id verum est de omnibus completivis, quia præsentia objecti complet, ut hæc potius pars à DEO contradictionis noscatur, fundamentum item completur à termino, & tamen utrique huic non conceditur concursus effectivus. De habitu etiam naturali dispar est ratio, quia facilitas in ipsomet exercitio substantia actus, non posset sine tali concursu salvari, ut dictum supra, quæ ratio non militat pro præsentem. Quamvis autem Augustinus dicat, cognitionem esse partem objecti & potentia, ad hoc salvandum, sufficit dicere, quod sit partus objecti, per speciem completis potentiam, terminantisque notitiam.

QUESTIO

QUÆSTIO V.

De speciebus in particulari.

Incipiendum erit à speciebus intellectualibus, de quibus sit

DIFFICULTAS I.

An dentur species intellectuales & quomodo producantur.

Dari species intellectuales docuit uterque Suarez, Vasquez, Molina, Ariaga, oppositum tenent aliqui & ex antiquioribus & ex recentioribus, quibus ex parte consentit Oviedo hic pun. 3. num. 6.

Dari species intellectuales:

PROBARI solet primo Auctoritate Aristotelis, qui de anima textu 2. intelligere inquit, est quoddam pati. Similia habet textu 3. & 17. Secundo, item de anima textu 37. ait animam intelligendo, omnia fieri.

RESPONDETUR. Salvati hæc posse, ratione speciei expressæ, quæ non solum petit produci ab intellectu, sed etiam in illo tanquam in connaturali subiecto recipi, sicque omnia per eandem. Et licet Augustinus lib. de Trinitate cap. 2. dicat, tardi ingenii esse de speciebus dubitare, id etiam explicari posset de speciebus intelligibilibus expressis.

PROBARI solet secundo. Quia intellectus est de se indifferens, ad hoc vel illud cogitandum. Ergo debet determinari per aliquid, & hoc est species intelligibilis.

RESPONDETUR. Falsum esse, quod officium specierum sit determinare, cum ipsæ indigeant determinari, diceret aliquis, *etiam ulterius*

PROBARI solet tertio. Quia illud quod complet intellectum in ordine ad agendum, debet esse talis naturæ, ut postea cum intellectu effectivè concurrere possit ad intelligendum. Jam autem phantasma, utpote materiale, non potest concurrere ad effectiorem intellectiōis spiritualis.

RESPONDETUR. Incertum imprimis esse, an ipsamet species spirituales concurrent effectivè ad cognitionem, posito autem hoc concursu, adhuc dici posset elevari phantasma materiale, sicut per oppositos ad productionem speciei impressæ spiritualis, ita per hos ad producendum immediatè ipsam speciem expressam spiritualem. *Circa hanc difficultatem*

ASSERO primo. *Dari species impressas intellectuales relictas ex cognitionibus transactis,*

RATIO est; Quia recordamur nos vel hoc vel illud cogitasse, sed hoc non est ratione præsen-

tis cognitionis de illis objectis, nemo enim præsentium recordatur. Ergo recordatio illa referri debet in speciem impressam, in quid enim aliud? non enim referri potest in phantasma materiale, quia illud hoc solum attingit, quod præconceptum est sensibus, jam autem intellectio non est præconcepta sensibus.

ASSERO secundo. *Dari species impressas intellectuales, in ordine ad objecta sensibus non perceptibilia.*

RATIO est; Quia cognitio talium objectorum nullo modo referri potest in phantasmata materialia, hæc enim utpote improporcionata, non possunt principiare notitiam spiritualement, sicut phantasma rosæ; non principiat notitiam lili, non etiam notitia illa potest referri in ipsamet intellectum, quia etiam aliorum objectorum cognitio, non in solum intellectum refertur, & si intellectus respectu objectorum sensu perceptibilem, non est completum principium; non erit etiam completum, respectu spiritualium, quæ saltem ab homine difficilius noscuntur. Experimur etiam in nobis difficultatem noscendi ea, quorum non est præhabita à nobis species saltem materialis, quam difficultatem non sentiremus, si intellectus esset sibi completum principium intelligendi.

DICES: Si essent necessariae species intellectuales ad cognoscenda objecta sensibus percepta, ideo essent necessariae, quia intellectus, se solo, non esset completus ad eliciendos illos actus, sed hoc non probat necessarias esse species intellectuales. *Quod ipsum probatur:*

Intellectus agens, se solo non est completa per nos potentia, ad producendam spiritualement speciem impressam, & tamen in ordine ad hoc, non completur alia spirituali specie, sed solum phantasmate materiali. Ergo etiam ad producendam intellectiōem spiritualement, compleri potest, solo phantasmate materiali, neque enim minus potest spiritualis illa qualitas, quàm intellectio.

RESPONDEBIS primo: Elevari phantasma materiale ad productionem speciei impressæ spiritualis.

CONTRA. Cur non elevabitur etiam ad producendam cognitionem.

RESPONDEBIS secundo: Determinativum ad formandam speciem spiritualement debet esse nonnisi in genere causæ objectivæ & directivæ, ea autè, quæ habent se per modum causæ nonnisi directivæ, possunt esse inferioris ordinis; bono eam artificii, etiam vile exemplar, potest esse directio, & occasio operis longè nobilioris. At vero completio ad formandas intellectiōes, cum sit in genere causæ efficientis & tanquam comprincipii, debet esse quid spirituale.

CONTRA est: Sufficit ut in ordine ad formandam speciem impressam, compleatur intellectus, nonnisi directivè. Ergo complementum

† (Y) simile

simile sufficere, ad formandam speciem expressam.

RESPONDEBIS tertio, quod phantasma materiale, non recipiatur immediate in anima, sed in organo, in quo phantasias cudit anima. *Addit* recentior Suarez, quod scilicet phantasma, non sit præsens intellectui, sed soli phantasie quæ distinguitur realiter ab anima, ergo debent dari aliæ species, per quas objecta, continuantur intimè præsentia.

CONTRA. Tum quia quamvis distinguatur realiter phantasia ab intellectu agente, & quamvis species materialis, recipiatur in phantasia, nihilominus sufficienter determinat intellectui agentem, ad productionem speciei impressæ. Ergo determinare poterit vel complere, ad productionem speciei expressæ. Tum quia falsa est doctrina, distingui has potentias realiter, nulla enim potentia animæ, distinguitur realiter ab anima rationali, licet organum distinguatur. Tum quia, quod addit idem recentior, urgendo quod sicut voluntas spiritualis non potest determinari à cognitione materiali, ita nec posse determinari à phantasmate materiali intellectum, quod inquam addit, non convincit: Quia sicut non obstante antecedente potest determinare phantasma materiale ad speciem impressam spirituales, cur non poterit etiam ad expressam. *Hoc tamen etiam argumento perperisio:*

ASSERO tertio, non posse sine censura & temeritate doceri, quod non dentur ullæ species impressæ intellectuales, tum quia quamvis non appareret illarum tanta necessitas, tunc cum actu percipitur sensibiliter objectum, presumendum tamen est, etiam tunc, non sine speciebus spiritualibus objectum illud cognosci, idque ex eo, quia aliàs objecta, noscuntur ab intellectu mediis speciebus, natura autem, sicut non deficit in necessariis, ita æquabilem modum agendi retinet, nisi oppositum experientia, vel ratio ostendat positiva, paritas autem adlata, stat in principio negativo, unde & ex eodem fundamento, solvenda erit.

Tum quia si arguens concedat, quod dum actu sensu percipitur objectum, fabricet tamen sibi sensus internus speciem materialem, tenebit contra arguentem paritas; Non sufficit species sensus externi, sed aliam sibi fabricabit intellectus internus, ergo & aliam sibi fabricabit intellectus agens: Tum quia intellectus nescit universalis & absentia, ad quæ species materialis, sufficere non potest, de qua ratione consule Mast. D. 6. Anim. n. 66.

De fabricatione speciei spiritualis.

QUÆRES: An phantasma materiale concurrat effectivè ad productionem speciei spiritualis.

ASSERO primo, cum duplex cogitari possit phantasma materiale scilicet impressum & expressum,

probabile est quod solum expressum concurrat ad productionem speciei spiritualis.

RATIO est, quia ex una parte non est ratio cur uni potius quam alteri, tribuatur vis illa concurrendi, & ex altera parte, abundè explet suum officium phantasma impressum, si producat phantasma expressum, ad hoc enim primario ordinatur, cumque ipsum phantasma expressum, sit magis simile objecto, utpote formalis illius similitudo, congruum est, ut objectum, quod etiam suo modo concurrere debet in aliquo sui, quàm maxime sibi simili, potius concurrat per phantasma expressum.

ASSERO secundò. *Nullum esse fundamentum tribuendi, quod phantasma materiale effectivè producat speciem spirituales.* Ratio est, quia ex una parte nullum est hujus fundamentum, ex altera parte, si nihil obstat, rei materiali, non debet tribui vis efficiendi spiritualia, utpote, gradu, se excedentia. Oppositam sententiam tueretur recentior Suarez, cum quo

DICES primo; Phantasma est vicarium objecti, & illius supplet concursum, quem objectum per se, non potest præstare, sed objectum concurrat effectivè ad sui speciem; Ergo & ejus vicarium phantasma, concurrat effectivè.

RESPONDETUR. Quod objectum concurrat effectivè ad sui speciem proportionatum. Jam autem res materialis non habet proportionem cum specie spirituali.

DICES secundò, Sensatio externa, effectivè concurrat ad speciem sensus interni. Ergo & sensatio interna, concurrat effectivè ad speciem impressam spirituales.

RESPONDETUR. Quidquid sit de antecedenti, negando consequentiam, quia si sensatio externa materialis, concurrat ad phantasma materiale, non concurrat ad aliquid quod excedet se gradu, & tamen hoc absurdum sequeretur, si materiale phantasma effectivè concurreret ad speciem impressam spirituales.

DICES tertio, cum eodem. Phantasma communicat representationem speciei intelligibili, & non apparet aliud genus, in quo id præstet, non enim id præstet in genere causæ materialis, quia nec recipit illam qualitatem spirituales nec ab illa recipitur; nec in genere causæ formalis extrinsecæ, non enim illam specificat, sed id facit objectum, non etiam in genere causæ finalis, quia species intelligibilis, non habet pro fine, phantasma materiale.

RESPONDETUR. Infra esse adferendum modum, quo communicet phantasma materiale, representationem speciei impressæ.

ASSERO tertio; *Concursum qui est phantasmatum materialis ad speciem spirituales, esse in genere causæ formalis extrinsecæ consumilem ei, quo prototypon respiciens pictor, aut alius artifex, nobilius aliquid postea efformat, sic proposito phantasmate expresso materiali, movetur intellectus agens,*

agens, ad eudendam speciem impressam, quā postea posita, intellectus patiens, efformat speciem spiritualement expressam, consimilem phantasmato expresso materiali. Porro quando dico exemplariter determinari, à phantasmate materiali expresso, intellectu agentem, non est necessitas imaginari, quod prius dignoscatur illud exemplar, & ex illo ignito, procedatur ad formandum illi simile exemplar spirituale, si enim hoc verum esset, sequeretur dari prius cognitionem, ante cognitionem, quod ipsum probatur: Quia ante efformationem speciei impressae similem phantasmato expresso, daretur cognitio phantasmatis, quae ipsa, ex generali conditione cognitionis, exprimentis id, quod cognoscit exprimeret illud phantasma, adeoque daretur cognitio ante cognitionem. In isto ergo sensu, exemplariter concurrir, quia scilicet posito illo phantasmate expresso materiali, convertit se anima ad fabricandam speciem spiritualement impressam, & postea expressam; quae species spiritualis, cum id spiritualiter repraesentet, quod repraesentat species expressa materialis, & cum ex altera parte, producta specie expressa materiali, appetat anima, appetitu innato, consimilem habere speciem impressam spiritualement, sit ut dicatur species materialis, per modum exemplaris, concurrere ad productionem speciei spiritualis.

RATIO asserti. Quia species materialis non concurrir, ut dictum, effectivè, nec apparet in quo alio genere concurrere possit, quam dicto modo, parum autem intererit, siue dicas, quod concurrat per modum determinantis, aut per modum complementis, modo teneatur, quod concurrat per modum causae formalis extrinsecae. Quia autem teneret quod concurrat non nisi per modum merae conditionis, non abs re diceret, aegre enim regula, discernendi haec duo, nempe conditionem praerequisitam, & genus causae formalis extrinsecè determinativae, tradi potest.

CONFIRMATUR utrumque assertum rationibus, quas adducit Suarez & alii quasque solvere conatus est Suarez recentior.

RATIO prima. Omnis potentia non cognoscitiva, est completa in ordine ad suos actus, intellectus est potentia agens non cognoscitiva. Ergo solus & non cum comprincipio, quod sit phantasma materiale, producat intellectiorem.

RESPONDET Recentior Suarez. Potentia non cognoscitiva, quae est effectrix imaginum non est completum illarum principium, jam autem intellectus agens est potentia productiva imaginum.

CONTRA est. Nego quod potentia etiam effectrix imaginum, si non est cognoscitiva, non possit esse completum principium, cum non sit major ratio de aliis non cognoscitivis. Dein-

de species impressa non est imago formaliter sed causaliter, habetque se ita, ac id, quod non est formaliter imago. Ergo & potentia speciei impressae formatrix non cognoscitiva, habet se, ac ea, quae non est effectrix imaginum formaliter. Denique voluntatis actus imperans aliquam intellectiorem, est causa intellectiorem, adeoque imaginis, & tamen respectu illius volitionis, voluntas est principium completum. Ergo & intellectus, qui est causa ejus, quod est causa imaginis, erit potentia completa.

RATIO secunda. Propter concursum speciei materialis, una cum intellectu spirituali, ad ponendam speciem, sequi deberet speciem non esse spiritualement, eo quod effectus sequatur debiliorem partem.

RESPONDET idem. Verum id esse, quando comprincipium ignobilius, non elevatur à digniori.

CONTRA est. Quia nullum est fundamentum huius ipsius elevationis, praecipue ad ponendum à materiali idque viribus naturae, aliquod ens spirituale, non estque ratio, cur potius phantasma materiale sequi debeat conditionem elevabilium naturaliter, & non conditionem inelevabilium naturaliter.

DIFFICULTAS II.

De speciebus sensus interni.

ASSERO primò. Dari species in sensu interno relictas, ex actionibus praeteritis, sensus interni.

RATIO est. Quia non positus illis speciebus relictis à sensatione interna transacta, non daretur memoria transactae sensationis, quam negare, arbitrarium esset, sicut & negare ipsam sensationem internam.

ASSERO secundò. Dari in sensu interno species sensuum externorum.

RATIO est. Quia sensus internus non posito objecto, nec posita ejus externa sensatione, nihilominus percipit objectum; & ita in somnis imaginamur hos manducare, bibere, &c. quae omnia non apparet qui salvarentur, non positus praedictis speciebus.

ASSERO tertio. Non esse ita certum, quod ut sensus internus cognoscat sensationes externas quae actu exercentur, quod inquam in ordine ad hoc indigeat speciebus. Est assertum quod docet Oviedo hic punct. 2. num. 1.

RATIO. Quia praesentia objecti sensibilis, vinoque illius per speciem impressam & expressam eum noscente non apparet cur non

† (Y) 2 sit

fit sufficiens ad principiandam à sensu interno, sensationem internam.

ASSERO quartò. *Supposito quod possit sensus internus reflectere se sensatio interna dum actu exercetur, posset cognosci, alia sensatione interna, reflexa, sine ulla specie impressa.*

RATIO. Quia species sunt inventæ & provi-
sæ à natura, non nisi ad cognoscenda objecta
dispositæ & improporcionata, sed sensatio interna,
nec est disposita, nec improporcionata. Ergo be-
nè nosci poterit, sine ulla specie impressa.

DICES. Saltem divinitus potest separari sen-
satio interna, & non esse præsens sensui interno,
hoc autem sufficiens est fundamentum, ut
cognoscatur, non nisi media specie.

RESPONDETUR. Tunc id quod est dispositum,
licet etiam possit non esse dispositum, indiget spe-
ciebus, quando naturaliter, potest fieri dispo-
situm; & ita angelus A cognoscit angelum B per
distinctam speciem, quia angelus B etiam natu-
raliter, potest esse dispositus. Quia autem sen-
satio interna, non potest esse naturaliter disposita,
fit ut natura, quæ non nisi naturalia providet,
non debuerit providere de specie impressa su-
peraddita. Deinde quamvis Deus possit se non
repræsentare creaturæ, nihilominus dum se re-
præsentare vult, non facit hoc media specie im-
pressa, licet alias per species saltem abstractivas
cognoscatur, ita etiam, licet disposita sensatio in-
terna, non possit cognosci nisi per speciem, dum
tamen non est disposita, sine specie nosci pote-
rit.

DISCURRI hic posset: Cur quando est actu
sensatio interna, & producit sui speciem, se
transacta mansuram, cur inquam illa species,
cum sit agens necessarium, non repræsentet il-
lam ut præteritam. De quo vide citatum
Oviedo à num. 4. circa quod dici potest spe-
ciem non ita esse agens necessarium, ut hoc
ipso quia ponatur, elici debeat cognitio, ad
quam eliciendam provisæ est à natura, alias
omnia simul cognoscere, sed hoc sensu
agens est necessarium, quia scilicet positus omni-
bus prærequisitis, non potest non agere, inter
quæ prærequisita est, ne sit nimia in hæsi-
o huic potius objecto, ut adsit excitatio speciei &c. &c.

ASSERO quintò: *Sensationes externas non re-
linquere in sensibus externis species.*

RATIO. Quia sensus externus non meminit.

DIFFICULTAS III.

De speciebus sensuum externorum.

ASSERO primò: *Dari species visibiles, unde*
& Aristoteles lib. 2. de sensu docet visio-
nem fieri, non extramittendo aliquid ex ocu-
lo ad objectum, sed potius suscipiendo aliquid

intus ab objecto, quod non aliud potest esse,
nisi species. *Accedendum est ad rationes as-
serti.*

RATIO prima est: Quæ solet defumi ex Ari-
stotele, qui docet sensum moveri ab objecto;
jam autem movens & motum debent simul
esse, & quia visum objectum semper est distans
à potentia, debet per aliquid aliud à se distin-
ctum uniri potentia, hoc autem nihil aliud
est, nisi vicarium aliquod objecti, adeoque
species.

Neque valet si dicas: Sufficere, quod objectum
sit intra sphaeram potentia, quia etiam intra
sphaeram potentia positum objectum, cum po-
tentiam moveat, debet agere in potentiam, vel
igitur agat, in medium vel non, si agat in me-
dium, agere aliter non poterit, nisi transmis-
sione specierum, si non agat in medium. Er-
go agere potest indistans, non agendo per
medium.

RESPONDERI posset: Quod scilicet movens
terminativè & motum, non debeant esse simul;
Hinc etiam cognitio sensitiva interna, itemque
intellectiva, ad quamcunque distantiam
percipit objectum, quod non posset fie-
ri, si movent terminativè, indigeret certo spa-
tio.

RATIO secunda est: Quam proponit Ovie-
do. Lux & color in distantia proportionata
videntur; Ergo color & lux concurrunt ad vi-
sionem, alias in quacunque distantia, imò
etiam si non existerent, posset videri objectum,
sed non concurrunt immediate per se. Ergo
medio alio effectû, hoc est speciebus.

RESPONDERI potest: Ne ad quamcunque
distantiam extendatur visiva, rejici id posset, in
determinationem ipsiusmet potentia; & sicut
quod objectum ad tantam distantiam projiciat
species, refertur id in determinatam virtutem
potentia, nec inde sequetur, posse objectum ab-
sens videri, ita nec in præsentia sequetur, & sicut
ex eo, quia objectum producit species, non se-
quitur, quod etiam non existente objecto, pro-
ducantur, ita nec sequetur, quod non existens
videri possit, casu, si videatur sine specie-
bus.

RATIO tertia ejusdem est. Si inter visibile
& oculum, interponatur aliquod opacum, non
fit visio, quod non in aliam causam referri pot-
est, quam quia corpus opacum, non est me-
dium apium, per quod diffundatur spe-
cies.

RESPONDETUR. Quæ ratio dabitur, cur
tunc non transmittantur species, eadem mi-
litabit cur non videatur, & si recurre-
tur ad hoc, quod necessarium sit medium
aptum, idem in præsentia etiam oppositi di-
cent. *Hinc aliter*

PRO-

PROBATUR assertum experientii. Quia si non daretur species, nulla potest ostendi causa cur unus flos, multiplex appareat in inspiciliis multangularibus, non enim tunc multiplicaretur ipsum objectum. Ergo multiplicari debet aliquid illius, hoc est dicta specie, & rursus non posset ratio reddi, cur in speculo res videatur, præcipue si à tergo videntis, ponatur visibile. Item cur si duo speculum teneant, sinistrum videbitur dextrum, & dextrum sinistrum. Ex certa item appensione oculi facta digito, videatur plures candelæ & quæ omnia salvari non possent, non concessis speciebus.

Noto primo, species visibiles in instanti diffundi.

RATIO. Ipsamet experientia, diffundi etiam nonnisi per lineam rectam, hinc objectum à tergo positum, nemo videt, nisi reflectantur species ab aliquo diaphano, quamvis autem per rectam lineam emittantur, emittuntur in spheram, quia aliàs non ab omni parte videretur objectum.

Noto secundo, species visibiles si sint heterogeneorum objectorum, & ipsas esse heterogeneas, nec secum continuari.

RATIO. Quia unumquodque objectum, est principium qualitatis vicariæ, adeoque sibi proportionatæ, hinc si objecta sint diversa, etiam species erunt diversæ, unde etiam videmus, quod species nigri, non projiciantur ab albo, si autem hæ species sunt diversæ rationis, continuari secum non possunt, nam continuorum extrema, debent esse unum.

Noto tertio, partes specierum nonnisi partes objecti, & totam speciem, totum objectum repræsentare.

RATIO. Quia si pars repræsentaret totum objectum, is qui videt partem maris, videret totum mare. Deinde si pars speciei repræsentaret totum objectum, pars speciei, deberet causari à toto objecto, denique nulla est necessitas & fundamentum, tribuendi omnibus partibus, vim causandi, quamcumque partem speciei.

DICES PRIMÒ; Si non causantur partes speciei à toto objecto, non esset ratio, cur ex quacunque parte, totum objectum videatur.

RESPONDETUR. Id inde fieri, quia illa species, in spheram projiciuntur, & cum non sint quantæ, sed de genere qualitatum, penetrant se, & compatiuntur in eodem loco.

DICES SECUNDÒ. Si unamquamque partem speciei non producit totum objectum, nulla poterit assignari ratio, cur una arbor à longè videri non possit, si autem sint plures & conficiant sylvam videri possunt, saltem confusè.

RESPONDETUR. Non debere id rejici in hoc, quod speciem unius arboris, tota sylva producat, aliàs ut bene ostendit Ariaga & Oviedo, distinctius videretur unus homo dissitus, propter accessum plurium, eò quod species illius

plures & fortiores causas habeat, quàm si unus homo sui speciem producat, sed rejici id debet in hoc principium, quia deficiente numero plurium specierum, una aliqua, non est sufficiens, ad immutandam potentiam.

DICES TERTIO. Totus Sol producit unamquamque partem lucis, & totam lucem. Ergo & objectum totum, producet unamquamque partem speciei.

RESPONDETUR. Antecedens dubium esse, cur ad eum modum, quo partem quantitatis, nonnisi pars materiæ producit, pars etiam Solis, non producet nisi partem lucis.

ASSERO SECUNDÒ. *Dari species auditus.* Experientias quas adfert Ariaga, solvit bene Oviedo, aliquas hic attingemus.

RATIO prima adferri solet. Echo, & unius vocis, ab omnibus perceptio, in aliud principium referri non potest, nisi in species.

RESPONDERI posset: Hæc omnia referri posse in sonum, qui propagatur, eodem modo, quo species.

RATIO secunda. Dantur species visibiles. Ergo dantur & auditiles.

RESPONDERI potest. Disparitatem esse: Quia coloratum lucidum, non potest produci in aère, & tamen videtur coloratum lucidum etiam distans. Ergo unio illius cum potentia, non poterit in aliud rejici, quàm in species intermedias, jam autem potest in medio produci sonus, non productis speciebus, & devolvi usque ad sensorium.

RATIO tertia est, qua utitur recentior Suarez; Quia scilicet auditus percipit sonum esse distantem, cujus distantia perceptio, non potest referri nisi in speciem, nam sonus proximus & immediate causatus, non potest repræsentare sonum remotum, aliàs frigus proximum sentiremus ut distans.

RESPONDERI potest: Sicut recentior Suarez docet, mediis speciebus ideo cognosci sonum distantem, quia scilicet intensæ, in propinquiori, remissæ, in remotiore parte medii, productæ sunt species. Ita quia in propinquioribus sonoro partibus, fortior est productus sonus, remissior in remotioribus, fit, ut remotus sonus sentiantur.

Neque valet, si dicas: Quod si quis proximè insuset, leviter sonus tunc producit, & tamen non auditur esse remotus. Ergo rejici non debet in debilitatem soni, quod dignoscatur in loco dissito, sonus productus, non inquam valet; quia quæcumque ratio dabitur, cur species à susurante producta, non faciunt audiri sonum dissitum, idem nos dicemus de sono, sicut ergo rejicietur id in hoc, quia in anterioribus & anterioribus partibus medii, non erant productæ illæ species, quæ tamen contulissent ad principiandam de se sensationem, ita & nos dicemus, non esse pro-

† (Y) 3 ductum

ductum sonum in anterioribus partibus, quæ & contulissent ad principiandam sensationem, & simul habuissent vim, principiandi dignoscen-
tiam, remoti sonori. *Hinc aliter*

PROBATUR assertum. Quia universaliter Aristoteles 2. de Anima textu 67. & infra text. 25. docet, sentire esse quoddam pati, alteratque ab objecto, quod ipsum alterari quod proveniat à speciebus, colligitur ex textu 121. & 138. ubi docetur, sonum, esse susceptivum formarum sine materia, quo nomine venire solent species intentionales. Deinde duo sunt principia ex quibus indagatur positio specierum.

Primo, distantia objecti, secundo impropor-
tio, & quamvis in gustu & tactu non possit sensatio fieri sine præsentia objecti, nam objectum gustus ob suam crassitiam, non potest immutare sensus intentionaliter, nisi immutet & realiter ut inquit recentior Suarez, titulo tamen impropor-
tionis, probabiliter in aliis etiam sensibus, adeoque principaliter in auditu, dari debent species. Hinc etiam quia odorabile in internas partes olfactivæ, se insinuat, & non in solam superficiem, ad quam solam pervenire potest aer, tribuendæ sunt etiam olfactui species. Gustatio etiam non fit in solis extremis partibus, ad quas tamen solas, advolvit se cibus. Deinde contactus non fit secundum solas extimas partes, sed etiam secundum intimas, cum etiam in illis sentiat dolor.

DICES. Species audibiles, nec possunt in instanti produci, nec in tempore, non in tempore, quia non habent contrarium, non in instanti, quia de facto experimur citius ad oculus deferri species visus, quam audiat sonorum, si sit remotionem.

RESPONDETUR. Produci in tempore species audibiles, non ex eo, quod habeant contrarium, sed quia talis est illarum natura à posteriori per experientiam cognita.

Vel certe quia sonus accedit per motum localem successivum, hinc fit, ut successivè etiam species producantur, *Hinc*

ASSERO tertio: Probabile esse ex dictis de auditu, quod reliqui etiam sensus habeant species, licet id præ reliquis sensibus de auditu verificetur propter sensum Auctorum recentiorum, qui præ reliquis tribuunt species auditui, quantumvis negando eandem gustui, tactui, odoratu, &c.

RATIO. Quia etiam illorum sensuum objecta, ut se insinuant intimis sensorii partibus, sunt improporcionata, cum tamen per experientiam se insinuant. Ergo hæc improporcionio, tollenda per species.

QUÆRES: An sint objectum sensuum species, an verò ipsummet objectum?

ASSERO primo: Non solum objectum ut est secundum se, sensibus externis attingi.

RATIO. Quia si solum secundum se attinge-

retur objectum, cum diversitas tanta appareat in cognitione objectorum, ut cum unum objectum, appareat multiplex, deberet objectum in seipso, totam illam diversitatem continere, siquidem tu dicis objectum attingi, ut est secundum se, sed secundum se non continet tot diversitates. Ergo non solum secundum se, sensibus externis attingitur.

ASSERO secundo: Solas species non esse objectum sensuum.

RATIO. Tum quia species non sunt nisi similitudines objecti virtuales, in speculo autem non videtur id, quod est virtualiter facies, sed lineamenta formalia speciei. Tum quia species spirituales intellectuales non intelliguntur ut Quod, quando intelligitur ipsum objectum. Ergo nec species sensuum externorum. Tum quia id solum videtur, quod est lucidum coloratum, species autem non sunt lucidæ, coloratæ, sic lucens lignum non producit, & tamen producit sui speciem, nec color colorem; hisque rationibus pro asserto, utitur recentior Suarez. Tum quia ut urget Arriaga, species sunt ejus naturæ, ut qualibet pars representet totum objectum. Ergo si ipsæ species videntur in unaquaque parte, videbitur totum objectum, quod est contra manifestam experientiam.

Quod ulterius huic fundamento innititur. Quia scilicet sicut objectum in se est tale, ut una pars non sit ibi, ubi est alia, fit ut non in qualibet parte totum videatur objectum, totum autem in omni parte videri deberet, siquidem species omnes se penetrant & tu dicis illas videri, non verò objectum. Tum quia si ipsæ species videntur, tunc diffusæ ab objecto, species v. g. nigri, & receptæ in aëre, deberent aërem facere nigrum, siquidem tu species illas dicis videri, quod autem videtur nigrum v. g. est. Neque valet si dicas ex eo quod sint magis intentionales non posse colorare, saltem enim tantillum colorare deberent, imò cum non appareant minus coloratæ, quam ipsum objectum, non est ratio, cur ipsæ colorare non deberent, atque colorat objectum.

ASSERO tertio: Id quod attingunt sensus, est objectum, speciebus representatum.

RATIO asserti est: Quia non ipsæ species videntur ut probatum asserto secundo, non etiam ipsum objectum in se, ut probatum asserto primo. Ergo videri debet objectum speciebus representatum; quid enim aliud videretur?

DICES primo: Pone cubiculum clausum, obscurum, pone vitrum intromissivum specierum, subde chartam, tunc exprimentur objecta foris existentia, sed tunc non videntur objecta, quia in illo clauso cubiculo non sunt. Ergo videntur species.

RESPON-

RESPONDETUR. Illic esse objecta, non secundum se, sed prout representata, in aliis etiam instantiis, hoc solum ostenditur, quod corpus reflectens variet visionem, ad illamque conferat, licet non species sed objectum videatur: hinc etiam in illa charta, est reflexio specierum, quæ reflectæ, sunt talis naturæ, ut in illo loco representent objectum, unde reflectuntur.

DICES 2. Species sunt in aëre, nec sunt in alio medio reflectente eadem v. g. in charta, hinc mota charta, immotæ sunt species. Ergo non est illic reflexio specierum conducentium ad visionem ipsiusmet objecti; consequenter non ipsum objectum sed species videbuntur.

RESPONDETUR. Hanc difficultatem esse communem. Certè enim mota charta movetur aër, & tamen immotæ manent species,

quæ de subiecto in subiectum non possunt transire; Consequenter debet tunc poni nova propagatio specierum, licet à nobis non distingat, quod etiam à nobis conceditur; Sed inde non sequetur, objectum representatum non videri.

DICES 3. Reflexio fit per lineam rectam, & tamen tunc à quacunque parte videtur objectum.

RESPONDETUR. Fieri reflexionem etiam per lineam sphaeram referendo id in naturam refringendarum specierum, ita ut quædam quidem reflexio, fiat per lineam rectam ut cum reflectitur calor, aliquando autem fit reflexio quæ sequitur meram conditionem specierum, diffundendo se in sphaeram, sicut in sphaeram diffundunt se species.

Ethæc de Anima aliisq; Materiis, A. M. D. G. dicta sunt.

B. M.

